COLONIAE AGRIPPINAE,
Typis ac ſumptibus VVILHELMI FRIESSEM Typographi & Bibliopolæ ſub ſigno S. Gabrielis Archangeli in platea vulgo Trancкgas 1658.
Cum Privilegio Sacræ Cæſareæ Maieſtatis.

PARÆNESIS.

IVSTITIÆ EVANGELICÆ

sive

DILVCIDA EXPLICAtio, viæ rectæ, quæ ad Cœlum ducit, & periculorum in ea occurrentium cum adiunctis Salutaribus consiliis & monitis, hæc prudenter declinandi, & ad illam secure perveniendi, Odoriferis verbi Divini flosculis exornata & SS. Patrum Auctoritatibus probata: Carmine heroico conscripta

A Reverendo Domino

EWALDO MARCHIO,

SS. Theologiæ Licentiato Insignis collegiatæ ad S. Joannem Osnabrugi Canonico Capitulari, ac Illustrissimæ & Reverendissimæ suæ Celsitudinis Osnabrugensis Consiliario.

Editio secunda.
Auctior, & emendatior.

Quærite ergo primum Regnum Dei & Iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis, Matth. 6. v. 33.

Psalm. 24 v. 4

Vias tuas Domine demonstra mihi & semitas tuas edoce me.

Psalm. 39. v. 10. & 11.

Annunciavi JUSTITIAM tuam, in Ecclesiâ magnâ, ecce, labia mea non prohibebo, Domine tu scisti; IUSTITIAM tuam, non abscondi in corde meo, veritatem tuam, & salutare tuum dixi.

Psalm. 93. v. 12. & 13.

Beatus Homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum, ut mitiges ei à diebus malis donec fodiatur Peccatori fovea.

Micheæ 6. v. 8.

Indicabo tibi ô Homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te, utique diligere judicium, & facere misericordiam, & sollicitum ambulare, cum
Deo tuo.

MOTIVUM AUCTORIS de Subjecta Paræneſi.

Miraberis forſan, Amice Lector, cur Nucleo meo hanc Parænesin ſubjunxerim? cauſam dabo, ut mirari deſinas. In Nucleo, eam potiſſimum explicui Iustitiam, quæ eſt Constans Et Perpetua Voluntas, Ius Suum Cuique Tribuendi, ac homines inter ſe, & Rempublicam reſpicit; quam etiam ipſi Ethnici, ex ſolo lumine Naturæ, agnoverunt, præceperunt & exercuerunt; inter quos, præ cæteris, excelluerunt Romani, qui (ut teſtatur (a) S. Auguſtinus, Deo hanc, cæteraſque eorum morales virtutes remunerante) adeo longè latèque per orbem terrarum, victoriarum ſuarum trophea extenderunt, in hac vero Paranesi, eam trado Iustitiam, quæ Homini circa Deum incumbit, cæterasque

 ſan-

(a) De Civitate Dei.

ſanctas virtutes complectitur, quibus Homo Iuſtus coram Deo, & gratus redditur, quam Salvator noſter Math. 5. (a) in primo ſuo ſermone, quem in monte habuit, docuit, & ibidem cap. 6. (b) IUSTITIAM Regni Cœlorum vocat, primoque quærendam præcipit, quæ in ſincero erga Deum amore, & proximorum dilectione, peccatorum fuga, carnis mortificatione, Noviſſimorum meditatione, rerum mundanarum contemptu, patientia in adverſitatibus, cæteriſque Divinarum virtutum piis exercitiis conſiſtit, de quibus hæc PARÆNESIS ſalutaria documenta profert, & ſana conſilia ſuggerit.: quæ omnia, & ſingula bene conſiderata, & ipſo opere expleta, magnum lumen, & ſolatium, in periculoſa & moleſta hujus vitæ peregrinatione animæ gloriam ſupernam deſideranti dabunt, ne in puſillanimitatem incidat, ſeu in via deficiat.

Cum igitur hæc duplex IUSTITIA homini ad æternam vitam ſit neceſſaria, nec una ſine alia eam operetur ſeu perficiat. Hinc opeꝛ-ptecium duxi, præter priorem IUSTITIAM, quoad homines, in NUCLEO explicatam, & hanc EVANGELICAM, quo ad Deum, tradere, eamque ſalutiferis, Sacra-

rum

(a) *Math. 5.* (b) *cap. 6.*

tum Scripturarum floribus, exornare, ut visui esset jucundior, odori suavior, & Palatui cordis gratior, fidesque certior; tum etiam, ut Divini verbi Prædicatores ex his limpidissimis Divinorum Eloquiorum fontibus, aquas (a) sapientiæ salutaris, salientes in vitam æternam, facili & paratâ manu haurire, illisque agrum Dominicum (b) irriguo superiori & inferiori, fœcundare possent; ne has, per varios sacræ scripturæ rivulos, sinus & anfractus, longè latèque currentes, & dispersas, cum labore & molestia, extra alveos, cum temporis jactura quærerent: ideoque ipsas scaturientes venas digito monstavi, ut semper in promptu essent.

Nam, quamvis sapor est, ablatâ dulcis in vada,
Gratius, ex ipso fonte, bibuntur aquæ.

Nec me, ab hoc pio proposito abstraxit, immensus labor, quem in exquirendis, citandis & applicandis, S. Scripturæ locis, impendi, nec etiam prævisa aliquorum forte sugillatio, quod Theologus versu hanc IUSTITIAM, descripserim, per hunc enim laborem meum magis auxi, quem tamen,

(a) *Ioan.* 4. (b) S. *Aug med. cap.* 34.

ex amore salutis Proximorum, non subterfugi, & animosius suscepi, ut ad hujus divinæ, Evangelicæque IUSTITIÆ, utilissimã cognitionem, amorem, & salutare exercitium, metrica variatione, Lectorem pellicerem, eâque brevibus multa complecterer, quæ citius memoria, quam prosam caperet, & tenacius inhærerent, secutus in hoc, S. GREGORIUM NAZIANZENUM, DAMASUM PAPAM, PETRUM DAMIANUM, SEVERUM SULPITIUM, FULGENTIUM, BOETIUM, PRUDENTIUM, IUVENEUM (quem citat S. HIERONYMUS) aliosque quamplurimos, inter quos & ipse S. AUGUSTINUS, qui caput 18. meditat. à carmine exorsus est; imo ipsam S. MATREM ECCLESIAM, quæ in pluribus Canticis & hymnis solennibus, carmine utitur.

Nec mihi succensebis, vitiove vertes, LECTOR BENEVOLE, carmen meum durius aliquando fluere, nec elegantiam forte Poeticam, ubique sapere, cum in illo, potius ad sensum genuinum S. Scripturæ, cumque propositæ materiæ accommodandum attenderim, & ut Theologus, ad interioris Hominis renovationem & perfectionem magis reflexerim, quam ut Poeta, ad dul-

cem

cem carminis modulationem, nec (a) tam in persuabilibus humanæ Sapientiæ verbis, Sciolos, vel curiosos Censores, magis prudentiam Carnis, & non ea, quæ sunt spiritus (b) sapientes) instruere intenderim, quam Animæ Deum timenti, & æternam salutem, sincero corde quærenti simplici stylo (quo & ipsa S. Scriptura utitur) viam planam, & rectam demonstrare, per quam securè, & sine offendiculo, ad Cœlestem Patriam pervenire, deviaque & laqueos, ab insidiatore hoste, positos, prudenter evadere possit, huc enim totus & solus meus collimat scopus.

Hujus utriusque IUSTITIÆ (cujus etiam ipse noster Salvator (c) Math. 22. meminit, quando Cæsari reddenda ea, quæ sunt Cæsaris & quæ Dei, Deo præcipit) tanta est laus, & frequens in S. Litteris memoria, ut ter centum & nonaginta tribus locis, in illis repetatur, unde summa ejus necessitas & utilitas apparet, ut proinde vasto volumini, materiam satis copiosam, suppeditare posset, nisi brevitatem amarem. Unde etiam, in hac PARÆNESI, sic eam compendiose contraxi, ut tamen, vix quidquam eorum me

(a) 1. Corinth. 2. (b) 1. Romanorum 8. (c) Math. 22.

me prætermisisse existimem, quæ Deus tam in veteri, quam in novo Testamento ab homine requirit, ut abnegans (a) impietatem & sæcularia desideria, sobriè, justè & piè vivat in hoc sæculo, & postmodum exspectet beatam spem, & adventum Gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Iesu Christi.

Hunc igitur meum laborem, Dei Honori, & Proximorum Saluti dicatum, æqui bonique, CANDIDE LECTOR, consule, ac præcepta tradita, in praxim redige; tunc tuæ propriæ Saluti fructuosè consules, & piæ meæ intentioni ac exspectationi, plene satisfacies. His vale; & pio meo conatui fave.

Heraclitum aiunt lachrimas fudisse frequẽtes,
Democritum crebro mundum risisse Cachinno:
Hic tibi, si fatuus Fletus, Risusq; videtur.
Falleris; his signis mysteria docta notabant;
Blandimenta, jocos, ludibria, gaudia vana
Mundi, Heracliti deflere pupilla docebat.
Hæc quoq; ridebat patulo Democritus ore
Hinc causa una fuit, Fletus Risusq; duorum.
Nam pravos hominum mores, carpebat uterq;.
Qui nunc in mundo, simili grassantur abusu;
Verius, attingit, meus hos, monstratq; Libellus
Errores *carpens*, Virtutum *seminaspargens*,

a *ad Tit*, 2.

Pandit iter Cœli, versuti dæmonis astus
Prodit, & æternæ, pia dat documenta Salutis;
In verbo fundata Dei, quod fallere nescit,
Est animæ speculum, maculas quod detegit omnes,
Quæ longo cœcam latuerunt tempore mentem
Norma piæ vitæ est, & consolatio cordis:
Hunc igitur si sæpe legas, & corde reponas,
Gustum spero dabit, pietati calcar acutum
Addet, peccati noxas vitare docebit.
Nil tibi res mundi, poterunt superaddere majus.

CARMEN AGGRATULAtorium.

In
Secundam Editionem PARÆNESIS IUSTITIÆ EVANGELICÆ.
Admodum Rdi. & Eximii Domini
EWALDI MARCHII SS. Theologiæ Licentiati, ejusque Insignia, & dictum,
FORTITER ET SVAVITER.

SI Lector *cupias Animæ curare salutem?*
Noscere & innumeras, Dæmonis insidias?

Corruptos hominum mores? & gaudia falsa?
Inferni pœnas? Iudiciumq; Dei?
Quid sit dura pati, rationi subdere carnem?
Quantum virtutis, Iustitiæq; *decus?*
Instabilem vitam? Mortis quoq; spicula certa?
Passio quid Christi? quid timor ipse Dei?
Qualiter in mundo vivendum? quæq; cavenda?
Cunctorum Hominum facta, notare Deum?
Otia quid noceant? simul & consortia prava?
Quæq; voluntatis præmia magna bonæ?
Gaudia Sanctorum, Laudes & Virginis almæ?
Lucifer exoriens? vespera quidve petat?
Quid sit Divinus timor? & quid oratio poscat?
Et quam mercedem, Pauper egensq; dabunt?
Hæc, atque his longè, monstrabit plura, Libellus
Quæ prosunt animæ, cum brevitate docens.
Ex verbis sacris (propriis vix utitur ullis)
Omnia, quæ profert, rite probata dabit.
Iustitiam Nucleus *tradit, quæ propria mundo,*
Ast hic virtutes, Iustitiamq; *sacram.*
Illa dirigitur mundus, conquiritur hacce
Cœlum, pax Cordis gratia Sancta Dei.
Iustitiam *mundi defendunt arma* Leonis,
Iustitiam Cœli *protegit ipsa* Aquila.
Quadrupedum volucrumq; docent Insignia *Regum,*
Iustitiam *Terræ,* Iustitiamq; *Poli.*

For-

Fortiter in Nucleo, *quæ sunt injusta, vetantur;*
Hic Liber ast Suavem *monstrat ad Astra viam*
Suaviter *& castum suadet* Virtutis *amorem,*
Servandiq; Animam dat documenta Sacræ
Hæc si conserves, gustabis gaudia cordis,
Quæ præbere solet mens bene fixa Deo.
Iste biceps gladius poterit defendere inermem
A mundi, Sathanæ, carnis & insidijs.
Quod scriptis Author *docuit, monstravit in Arâ*
Quam posuit vivens, Vrsula *Sancta tibi*
Et sacra festivis cunctis fundata diebus
Divino zelo, quæ celebranda dedit.
Quando igitur Nucleum *legis; huncquoq; volve* Libellum.
Nam gustus suaves; lectus uterq; dabit.

Domino Fautori & Patrono suo observandissimo, submisso affectu accinebat.

Bernardus Bannier, *Possessor Altaris S. Vrsulæ & undecim millium virginum, ac* SS. *Ewaldorum in Collegiata S. Ioannis Baptistæ.*

PARÆNESIS

IVSTITIÆ EVANGELICÆ.

§. I.

Arguit Hominum imprudentiam, circa considerationem Novissimorum.

Gens absque consilio est, & sine prudentia, utinam saperent & intelligerent, ac Novissima providerent. *Deutr. 32. v. 28. & 29.*

a CVr sic vivis, homo, Circũdate corpore mortis,
b Tẽpore perpetuo, quasi sis victurus in orbe?
c Nec Deus, è Cœlo spectet, quæcunque gerantur,
d Nec pœnæ Injustis maneant, nec Præmia Iustis?
e Haud secus, ac brutum, rationis lumine captum,
f Mancipium ventris, solum præsentia quærens:
g In vitium præceps, ut equus laxatus habenis,
Aut lapis, ex alto demissus, ad infima tendit;
h O nimium miser, heu quæ te dementia cæpit?
Nobilitas animæ, à te nobiliora requirit;
In tenebris palpas, Sathanæ deluderis astu,
Degener heus animo, majori fine creatus,
i Filius æterni regni signatus, & hæres,
k Os sublime datum, Cœlorum ut sidera spectes,
Demissique pedes, terræ vt vestigia figant,
l Nonne docent, rectos ad cœlum tollere vultus?

Et

a *Genesis 3. 1. Corinth. 15.* b *Gen. 17.* c *Sapient. 2. Psal. 93. & 72.* d *Sap. 2.* e *Psalm. 48. Iudæ 1. 1. Corinth. 12.* f *Philip. 3. Titi. 1. 1. Corinth. 6.* g *Gen. 6* h *Psalm. 4.* i *Ephes. 2. & 4. Tobiæ 8.* k *Psalm. 24.* l *122.*

a Et cunctas illuc, mentis convertere curas?
Aut viles terræ, pedibus calcare cloacas?
Hæc natura monet, primæva creatio monstrat.

§. 2.

Pœnas Inferni, ante oculos ponit.

Pluet super Peccatores laqueos, ignis & sulphur, & Spiritus procellarum, pars calicis eorum. *Psal.* 10. *v.* 7.

b NVm te percellit, Divini Numinis ira?
c Num mors? *d* Iudicium? Nũ ardens *e* flamma gehennæ?
f Vermis edax? Tortorque *g* furens? *T*enebræque *h* perennes?
i Carbones? Crates? Succensique *k* igne lebetes?
l Non horror? Fœtor? Glacies? *m* Nix? Grando? Procellæ?
Immensum *n* frigus? Fumus cũ *o* sulphure mixtus?
Perpetuus clamor, *p* stridor, *q* Gemitusque dolorq;?
Queis eheu pœnis, peccans se subjicit omnis;
r Ni modo pœniteat, commissaque crimina plãgat,
s Et totum reddat. quidquid possedit inique.

a *Coloss.* 3. 1. *Timo.* 4. b *Roma.* 3. & 2. *Luca* 3. *Apoc.* 6. c *Psal.* 54. & 144. & 88. d *Mala*: 4. e *Psal.* 10. *Matth.* 11. *Luca* 16. f *Isa.* 66. g *Matth.* 18. h *Matt.* 25. i *Psal.* 199. & 139. k *Luca* 16. l *Iob.* 10. m *Psal.* 148. n 147. o *Apoc.* 19. 20. & 21. p *Matth.* 8. & 13. q *Sap.* 5. r *Luca.* 13. s *Luca* 3.

§. 3.

Describit peccati turpitudinem, & vindictam.

De ore eius lampades procedunt, sicut tedæ ignis accensæ, de naribus eius procedit fumus, sicut ollæ succensæ atque ferventis, halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius progreditur. *Iob.* 41. *v.* 11. 12. *&* 13.

TAm fera, tam turpis, tam trux, crudelis, & atrox
a Peccati est facies, oculi ut conspecta per ictum
Horribilis visu, totum consumeret orbem,
b Diluvii hoc monstrum, mundum quod perdidit vndis,
c Impuram Sodomam subvertit, & igne Gomorrhã:
d Luciferum, Sociosque mali sub tartara misit:
e Adamum pariter, dejecit sorte beatâ,
f Ac toti mundo, præclusit limina Cœli,
Millia quid memorẽ, quæ absũpsit squallor eremi.
g Quid terrâ absorptos vivos, Core, Dathan, Abiron?
h Ipsum eterno Dei Gnatum, descendere Cælo,
i Peccati ut proprio, mundaret sanguine sordes,
k Et virus mortis, victrici morte fugaret.

Hinc

a Isa. 13. b *Gen.* 7. c *Gen.* 19. d *Isa.* 14. *Apoc.* 12. e *Gen.* 3. f 1. *Corinth.* 11. g *fuerunt sexcenta millia virorum, educentium gladios, exceptis parvulis & mulieribus* Exo. 12. *Qui omnes Morti addicti sunt, excepto Iosue & Caleb Numer.* 14. *&* 16. h *Numer* 16. *psal.* 105 i *Luca* 1. k *Ioan.* 19.

a Hinc fuge peccatum, rabido cane peius & angue:
b Hi corpus lacerant, illud deducit ad ignem,
c In quo nulla quies, miseris spes nulla salutis.

§. 4.

Reprehendit prudentiam carnis.

Filii huius sæculi prudentiores Filiis lucis in generatione sua sunt. *Luca* 16. *v.* 8.

LYnceus atque sagax, in Mundi es rebus agendis,
d Prudenterque geris, quod sæcli postulat usus,
Nil transire sinis, tibi quod prodesse putabis.
Omnia scrutaris, nulla intentata relinquis,
Vt loculos repleas, habeas vel commoda rerum.
e Sed stupidus, simplex, ac talpâ cæcior ipsâ,
f Quando animæ curanda salus, mansura per ævum:
Sic miserum fallit, nimia hæc prudentia carnis,
g Quam fugit, ut pestem, Sapientia Cœlica Christi,
Quæ sola est melior, quam tota scientiâ Mundi.

§. 5.

Detegit fraudes, & laqueos Diaboli.

Cogitaverunt supplantare gressus meos, absconderunt superbi laqueum mihi, & funes extenderunt in laqueum, iuxta iter, scandalum posuerunt mihi. *Ps.* 139. *v.* 6.

h DEciperis misere, versuti Dæmonis arte,
i Qui calice aurato, tibi fel pro melle propinat,

Quod

a *Eccle.* 21. b *Luca* 22. c *Matth.* 25. d *Luca* 16. e *Matt.* 24. f *Rom.* 8. g *Matth.* 6. h *Gen.* 3. i *Apoc.* 17.

a Quod postquam biberis, ructus causabit acerbos,
b Et fellis gustus, pleno tunc ore redibit,
Totumque inficiet mordaci felle palatum,
Tunc sero sapies, cum nil prodesse valebit,
Si modo non videas, quod amara bibentibus illam
c Potio fit, stygius, quã hoc miscet aromate Caupo.
d Sæpius occulto, mordet sub gramine, serpens,
e Et vulnus lethale capis, dum gaudia quæris,
f Sis sub deliciis, latitant luctusque dolorque,
Quos, astu novit Dæmon, celare sagaci,
Ne pateant oculis, quæ sunt abscons a venena,
Non dormit, favet hic vnquã, requiemve capessit,
g Sed vigil, ut rugiens Leo circuit, vndique quærens,
Crudeli captam rictu, quam devoret escam,
Vtque, sagax sylvis, venator retia tendit,
Et pedicas, avibus disponit, callidus auceps,
Fallacique cibo volucres, cantuque doloso,
Allicit in casses; sic hic venator Averni,
h Omni pene loco, laqueos & retia ponit,
Ac struit insidias, aditusque præoccupat omnes,
i Vix queat ut quisquã sapiens satis esse vel insons,
Qui tuto evadat, nec vi, vel fraude latente,
Illius in casses, & retia laxa trahatur:
Hinc, sæpe extinctos, sufflando resuscitat ignes,
k Induit ignotos habitus, variatque colorem,
Nunc ovis assumit formam, sævi inde leonis,
Tristia nunc simulat, nunc gaudia inania fingit,
l Nunc nigrior corvo, Angelicâ mox luce refulget,
Attenuat culpam, vitia & turpissima celat,

Sugge-

a Deuteron.32. b Prover.23. c Isa.24. d Eccle. 10. e Iob.14. f Proverb.14. g 1.Pet.5. h Psal. 63. 90.118. Eccl.9. i S. Athanas. in vita S. Antonii. k Iob. 41. l 2.Corinth.11.

a Suggerit, effugia, errores quibus arte tegantur,
Ingerit invidias, rixarum semina spargit,
b Proque suo libitu, turpes accendit amores,
Hos timidos nimium, securos efficit illos,
c Vtque animam perdat, captorum corpora abundè
Pascit deliciis, vitiis alimenta ministrans.
Nec modo, sic parvas volucres, pavidasque columbas,
Verum etiam grandes, & ad æthera sæpe volantes,
d Illaqueat pedicis aquilas, fortesque leones,
e Dum recti, ac æqui specie, proponit iniquum,
Subque colore boni, mala pessima quæque recondit,
Non secus, ac anguis, tectâ qui prosilit herbâ,
Ore canit, caudaque ferit, funditque, venenum,
Moreque Sirenum, seducit carmine blando;
At velut, obmutit, iam prædâ, fistula captâ,
Sic simul, ac stygio, est innexus homuncio reti,
Illecebræ cessant, quæ irritamenta malorum,
f Et rigidis, vinctus manibus, pedibusque catenis,
Frœno ori incerto trahitur, quocunque libido
Effera, crudelis vel jusserit ira Tyranni:
Dæmonis astuti, Miser heu, sic falleris astu,
Quem tibi detexi, ne te fallacia lædat.

§. 6. *Sua-*

a *Genes.* 3. 1. *Reg.* 18. b *Daniel*, 13. 2. *Reg.* 13. c *Luca* 16. d *S. Augustinus, Soliloq. cap.* 29. e *Gen.* 3. f 1. *Corinth.* 12. *Isa.* 51.

§. 6.

Suadet fugam carnalium voluptatum, ac earum pericula, & infælicem finem describit, ac fraudes Diaboli ulterius detegit, uti & pœnas, quas posthac infliget.

Stuppa collecta, Synagoga peccantium, & consummatio eorum, flamma, ignis. Via peccantium, complanata lapidibus, & in fine illorum, inferi, & tenebræ, & pœnæ. *Eccle.* 21. *v.* 10. & 11.

a SPerne voluptates, nocet empta dolore voluptas,
b Quæ brevis est, animæque infligit vulnera mortis,
c Et precio caro, hæc fallacia gaudia vendit,
d Quæ fugiunt, veluti glacies, cum solvitur igne,
e Finemque accipiunt, cum vix cœpisse videntur:
f Gaudia, principium nostri sunt sæpè doloris,
g Qui manet, illa abeunt, & pœnæ examina linquunt:
h Gaudia vera, Deus Cœlo mansura reservat,
i Gaudia sed mundi, pereunt quasi fumus & umbra?
k Hinc Deus illa vetat, duris qui ponat Amicos,
l Vt non decipiat, carnis malesuada voluntas,
m Exitiosa nimis, quamvis appareat æqua.
n Quando, malos cernis, cōmittere pessima quævis,
Et

a *Gen.* 3 *Proverb.* 14. b *Sapi.* 5. *Isa.* 24. c *Gen.* 25. d 2. *Reg* 11. & 13. e *Ibid.* f *Dan.* 5. *Esther.* 7. g *Gen.* 3. h *Matth.* 24. i *Luca* 16. *Sap.* 5. *Osea* 2. k *Act.* 9. *Ioan.* 12. l *Eccl.* 18. m *Roma.* 12. n *Ps.* 13. *Sap.* 2.

a Et juxta votum, contingere prospera mundi,
b Anne putas, simili hos cum Iustis sorte beandos?
c Nequaquam! via Cœlorum, magis aspera poscit;
d Hostibus hæc multis, & acutis obsita spinis,
e Hanc dolor & gemitus, labor, & dura omnia cingunt;
f Inferni via lata, rosis est vndique vernans,
g Plenaque lætitiâ, quod triste est, exulat inde,
h Hic suaves cantus resonant, & musica læta,
i Sola voluptatum, nulla hic est cura salutis,
k Corporis atque animæ, veluti foret exitus idem;
l Sed finis tenebræ, mors, infernus, dolor omnis,
m Affligens ignis, vox & blasphema perennis;
n Tali fine, Mali claudunt, extrema viarum,
Nec poterunt regredi, quamvis huc vota referrent;
Hinc melius sæpe, declinando pericula tanta,
Et fuge delicias, abscondita prospice tela.
Quæ si declines, nequeunt prævisa ferire:
Hæc si falsa putes, finis vera esse docebit,
Et laqueos cernes, hostili fraude paratos,
Peccatum fingens, dulcis nunc esse saporis,
Insipidum nimis, æternam pœnamque mereri,
Spem veniæ tollens, vitæ dum terminus instat,
o Tempore, quo justus, pulsabit ad ostia Iudex,
p Morsque aderit, quæ lapsa sibi fatalia poscet,
q Non horæ unius, tempus, spatiumve datura,
Vt desperanti, nullus succurrere possit:

Tunc

a *Psal.*36.& 142. b *Ierem.*12. c *Matt.*7.& 13. d *Ib. cap.*11. e *Actor.*14. *Psalm.*124. f *Matth.*11. *Sap.*2. g *Ibid.*& *Eccle.*21. h *Iob.*21. i *Sap* 2. k *Ibid.* l *Eccle.* 21. m *Matth.*3. 5.& 7. n *Apoc.*14. o *Matth.*25. p 2.*Macha.*9. q *Luca.*12.

a Tunc datus in prædam Sathanæ, nil proderit unquam,
b Quod serò sapias, veniæ nam tempus abivit,
c Ianua perpetuæ, & spes est præclusa salutis:
d Mox venient, ignem spirantes ore, Tyranni,
e Vt rapiant, lacerent, comburant, sulphure potent,
Illudant, jugulent, dira sartagine frigant,
Affigant verubus, versentque trementia membra,
Fercula Convivis, ne desint molliter assa,
Et fugere ut nequeant, obscuro carcere claudant,
Crudelique modo, reddant pro crimine pœnas,
Quas, offensa Dei meruit, quæ læsa frequenter:
f Maxima Divini at pœna est, privatio vultus,
Qui jucunda nimis, præbet spectacula Sanctis;
Duraque Damnatis, cum vox: *Discedite in Ignem*
Aures percellit, tonitru quasi fulmine mixtum,
Affligetque magis, quàm tota ruina malorum:
Deliciis brevibus, sunt hæc tormenta parata
g Quæ dum fine carent, semper rediviva redibunt!
h Hinc emunda oculos, obscuras detrahe squamas,
i Lumine purgato, impendentia damna notabis,
k Stultitiamque tuam, & tenebras miraberis ipse:
Has vt debites, præsens cautela docebit.

§. 7.

a *Luca* 16. *Matth.* 22. b *Sapi.* 5. *Matth.* 25. c *Psal.* 21 d *Apoc.* 14. & 19. e *Isa.* 51. f S. *Thomas* 1. 2. *quæst.* 88. *art.* 5. S. *Chrysost. super Matth.* g *Isa.* 66. *Apoc.* 19. h *Psal.* 12. & 118. *Actor.* 9. i 4. *Reg.* 6. & 2. *Reg.* 11. k *Sapi.* 2.

§. 7.

Describit vitæ humanæ brevitatem & inconstantiam.

Quæ enim est vita vestra? vapor ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. *Iac. 4. v. 15.*

PRæsens vita brevis, fluido similisque vapori,
a Et folio ventis rapto, plumæque fugaci,
b Vt flos egreditur, squalletque à poplite pressus,
c Et velut ablatis cum nubibus, aufugit umbra,
Sic pertransit homo, nec eodem permanet unquam
In cursu, qui hodie est sanus, cras forsitan æger,
d Fatali lecto decumbet, qui modo fortis,
Aut præit, aut sequitur feretrum, cras forsan eodem,
Dum minimè sperat, tumulandus, & ipse feretur,
e Aut hoc momento, si sit Divina voluntas:
f Omnes fata manent, datur hinc exceptio nulla,
g Quando statuta semel, defluxit clepsydra vitæ,
h Cujus nulla quies, nam semper currit arena,
Donec eam sistat, cum vult, Deus, Arbiter orbis.
Serius, aut citius, metam properamus ad unam,
Quæ tamen, æqualis minime post fata, cuique
Eventum finis, Cœlum Infernusque docebunt.

§. 8.

a *Iob.* 13. b *Idem* 14. c *Ibidem.* d 2. *Mach.* 9. *Actor.* 4. e *Lucæ* 12. & 16. f *Psal.* 83. *Hebr.* 9. g *Isa.* 38. h *Daniel.* 4.

§. 8.

Consulit Mortis meditationem.

Statutum est Hominibus semel mori, & post hoc Iudicium. *Hebr. 9. v. 27.*

a MOrs animo sit fixa tuo, nec corde recedat
Omnibus hæc vivis subeunda est, tempore certo
b Ad Mortem properas, quoties vestigia figis,
c Iudiciumque Dei, citius tua vita subibit,
Horarum quævis, quam per momenta, requiret:
Omnibus exspectat, nos Mors, horisque locisque,
Omnibus, intento jaculo, minitatur & arcu;
d Omnibus ergo locis, Mortem noctuque diuque
e Exspecta, vigila, cunctasque paratus in horas
Solvere, quod debes, Morti, Mortisque supremus
Quam poscet Dominus, rationem reddere vitæ;
Hæc, bene si mandes animo, peccata cavebis,
Plurima quæ faciunt, quibus est oblivio Mortis.

§. 9.

Demonstrat Dei præsentiam ubique.

Oculi Domini, multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias Hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes, in absconditas partes. *Eccle. 23. v. 28.*

OMni ex parte Deus, cunctorum respicit actus,
f Vel tenebris tectos, vel claro lumine factos,
In

a 1. *Corinth.* 16. *Eccli.* 7. b 2. *Reg.* 14. c *Hebr.* 9. d *Matth.* 25. e *Luca* 11. *Matth.* 24. f *Psal.* 93.

a In vita patiens, post mortem Iustus in omnes,
b Non parcens sceptro, Titulis, seu Fascibus ullis,
Sit Princeps, Pauper, Rex, Magnus sive Pusillus,
c Omnibus est æquus, magis est sed durus in illos
Qui genio indulgent, & amant mala gaudia mũdi,
d Ac dapibus, dulcique mero sua corpora pascunt,
e Percutiunt citharam, gaudent modulamine cantus,
Tripudiant, ludunt, & cuncta libidine complent,
In lucem, tenebras vertunt, convivia lauta
Instituunt, semperque viget, quæsita voluptas
Hanc animo laudrat, votis & mente reposcunt,
Numinis obliti, faciunt extrema malorum:
f Sed quis finis erit? Nunquid conclusio Cœlum?
Temporis extremi, dabit hoc luctamen agonis?
g Nemo Deum fallet, nemo precio aut prece flectet
A vero justoque, loco nam respicit omni,
h Pravos atque Probos Dominus, qui cuncta creavit
Cuncta notat, cunctos sapienti lege gubernat.
i Væ, qui dixerunt, nunquam Deus ista videbit;
O stulti in populo, sapite, & cognoscite tandem,
Qui dedit Evigenis visum, plantavit & aurem,
k Visu non cernet? Non audiet aure loquentem?
Corripiens gentes? Hominem faciensque scientem?
Non contradicet? Non arguet impiè agentem?
l Nec sensus animi, Dominus cognoscet inanes?
Erratis cœci! nam lux altissima Cœli,
m Occultum nihil esse sinit, latebrasque per omnes
Intrat, & abstrusos explorat mente recessus.

a *Rom.* 2. *Isa.* 65. b *Exo.* 34. *Psalm.* 10. c *Roman.* 2. 1. *Apoc.* 18. d *Sap.* 2, & 5. e *Iob.* 21. f *Ecc.* c. 21. g *Galat.* 6. h *Eccle.* 23. i *Psal.* 93. k *Ibid.* l *Ps.* 95. m *Eccle.* 23.

§. 10.

§. 10.

Aperit Hypocrisis vitium, eiusque pœnam.

Quoniam Deus dissipavit ossa Eorum, qui Hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. *Psal. 52. v. 6.*

a NVnc Oculos Hominum fallis, dum Iustus haberis,
b Fraudibus & vitiis plenus, potiusque sepulchro
c Albato similis, quod fœdis ossibus horret:
Vivi nomen habes, Animæ sed morte peremptus,
Ad peritura Miser, pravis converteris actis;
d Verum extrema dies, nulli quæ parcet iniquo
e Te reddet notum, commissaque crimina pandet,
f Qui tunc confusus, Domino sic spretus ab ipso,
A mundo illusus stabis, crudele tremendi
Iudicis exspectans decreti fulmen ab ore,
g Proque operis ficti, capies mercede, gehennam:
Tunc poterit, pietas nihil hæc simulata, juvare,
Cum Deus, externos Hominum non æstimet actus,
h Si non sincero, procedant cordis amore:
i Internos quærit, veræ Pietatis Amator:
k Hauris aquam cribro, quoties intentio vergit,
Vt laudem capias, externa huc facta reflectens,
l Affectus compesce malos, nec scandala parvis
m Præbens, ne peccent simili pietatis abusu:
Actibus externis, fuerit si consona vita,
Percipiet meriti Pietas sincera Coronam.

§. 11.

a *Matth.* 23. b *Apoca.* 3. c *Matth.* 23. d 1. *Corinth.* 4. e 2. *Corinth.* 5. f *Psal.* 51. & 52. g *Psal.* 89. h 1. *Corinth.* 5. *Philipp.* 1. *Matt.* 5. k *Luca.* 13. & 18. l *Gen.* 4. m *Matt.* 18.

§. II.

Explicat severitatem extremi Iudicii, & finalis Sententiæ. ITE, VENITE.

Ecce dies veniet, succensa quasi Caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes iniquitatem, stipula, & inflammabit eos, adveniens dies, dicit Dominus, & non relinquet eis radicem, neque germen. *Malach.* 4. v. 1.

a VT Leo tunc rugiet, qui nunc est mitior Agno
b Condignasq; dabit, quovis pro crimine pœnas,
c Dicere lingua nequit, tangent quæ fulmina sontes,
d Cum tuba terribili clangore sonabit vbique
e SURGITE, quos terræ, Mors olim condidit antris
f SURGITE, pro danda cuncti ratione parati;
Quid, cum terribilis vox, ITE tonabit in aures?
g ITE in perpetuos, inferni carceris ignes;
h Post quam prolatam, veniæ spes tollitur omnis,
i Et tenebrosa, malos subito sorbebit abyssus;
k Hinc vitam serva puram, & sine labe malorum,
l Nunc vigilans esto, ut possis tunc esse paratus:
m Quidquid agis, prudenter agas, & respice finem,
n Qui dabit æternam vitam, pœnasve perennes,
o Nam quo cæsa loco cadet Arbor, ibi usque manebit.

a *Amos.* 3. b *Apoc.* 6. c *Isa.* 3. d *Matth.* 25. e *Matth.* 24. f 1. *Corinth.* 14. g 1. 5. *ad* 2. *Thessalon.* 4. h *Matth.* 25. i *Isa.* 5. k *Psal.* 14. l *Matth.* 24. m *Eccl.* 36. n *Matth.* 10. o *Ecclesi.* 11.

Inque alias partes, poterit se flectere nunquam.
ITE, sonum durum, pavido si corde timebis,
In vita suavem poteris sperare VENITE.
Per te nunc stat homo, maneat sententia qualis
a Lætam, credo, cupis, concíulam voce, VENITE,
Percipere hanc poteris, fueris si criminis expers,
b Ante Dei positus plenus Virtute Tribunal
Ex solis verbis his, ITE, VENITE duobus
Æternum pendet, cuncto quod fine carebit;
c Peccati merces, dura est, vox ITE tremenda,
Quæ sic, damnatis, penetrabit viscera cordis,
d Vistantes n utti, cogantur cuncta fateri,
Virtutis meritum, vox est jucunda VENITE,
e Innocuas hac, Pastor Oves ad Regna vocabit;
f Ast olidos voce ite hædos, detrudet in orcum,
Vt fœtore luant, sua fœtida crimina vitæ,
Sæpius hæc animo in vita revoluta sagaci,
Addent Virtuti calcar, sanctumque timorem,
Quo perfusus homo, peccati vincula rumpet,
Et vivendo bene; hæc evadet fulmina vocis,

§. 12.

Adversa mundi æquo animo ferenda docet, eorumque fructus & merita deprædicat. *Id enim, quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 2. Corinth. 4. v. 17.*

g ADversis ne cede malis, sed fortiter obsta,
h Perfer

a *Matth.* 24 & 25. b *Titi* 2. 2. *Petri* 3. c *Roma* 5. d *Matth.* 12. e *Matth.* 25. f. *Ibid.* g. *Iob.* 2.

a Perfer, & obdura, labor hic, tibi proderit olim.
a Succus amarus, opem consuevit ferre saluti:
b Fœlices verè, qui ferre incommoda vitæ,
c Et portare jugum, vitâ didicère Magistrâ.
d Si propter corpus, ferrum patiaris, & ignem,
e Dignius, ut salves Animam, tolerare labores,
f Est Adversorum, ad Cælum perpessio scala
g His Christus Sathanam, ac portas confregit Averni,
h Hæc sunt dona Dei, certissima signa salutis,
i Arma, quibus caro, quotidianus vincitur hostis,
k Deliciis Cælum claudens, quod tristia pandunt.
l His, omnes Sancti, meruerunt prœmia Cæli:
m Scilicet ut fulvum purgatur in ignibus aurum,
n Sic Deus, Adversis justos exercet amando.
o Hinc dum contingunt, animum deponere noli;
p Sed potius gaude, quod te dignetur honore
q Præ reliquis tanto, quem solis præstat Amicis,
r Quos vult æterna Cœli Mercede beare,
s Vt læti, referant frugum de messe maniplos,
t Hac spe munitus, quævis contraria vinces,

a Iac, 5. a *Tobia* 5. b *Actor*. 5. c *Matth*. 11. d *Ephes*. 5. e *Apoc*. 14. f *Gen*. 27. *Matth*. 5 g *Luca* 11. h *Psal*. 23. *Actor*. 9. i *Iob*. i *Iaco* 1. k *Psal*. 17. *Luca* 16. l *Psal*. 65. *Hebr*. 11. m *Eccl*. 26 n *Hebr*. 11. o *Phil*. 16. & 22. p *Isa*. 9. *Psal*. 89. q *Rom*. 6. *Tob*. 12. r *Sap*. 3. & 5. s 125. *Isai*. 9. t *Psal*. 21.

§. 13.

Qualiter in hoc mundo vivendum sit, docet. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futurum inquirimus, *Hebr. 13. v. 14* Disciplinam Domini ne abjicias, nec deficias animo, cum ab eo corriperis, quem enim diligit Deus, corripit, & quasi Pater in filio complacet sibi. *Proverb. 3. v. 11. & 12.*

a VT Cervus sitiens, festinus currit ad undas,
Ad Patriumque solum, peregrinus semper anhelat,
Quo citius, charos sibi, complexetur Amicos?
Sic vive in mundo, non ut mansurus in illo,
b Exulis ast instar Patriam quærendo supernam,
Hanc ut pertingas, perfer quæcunque molesta
c Inque Deum, cunctas humanas projice curas,
d Nam tuus ipse Pater, quæ suffers, omnia novit,
e Is gemitus, lachrymasque tuas, omnesque labores
Aspicit, hosque notat, quos non permittet inanes,
f Sed dulces reddet, transacto tempore vitæ,
g Firmiter hinc spera, quod te non deseret unquam,
Tempestas quamvis, desæviat undique dura,
h Is vult, atque potest, miserum quemcunque juvare,
Ipsius Auxilium, toto qui corde requiret.

§. 14.

a *Psal.* 41. b *Hebr.* 13 *Psal.* 119. c *Psal.* 54. 1 *Petri* 5. d *Deuter.* 32 e *Apocal.* 2. f *Apoc.* 21. *Psal.* 125. g *Psal* 37. & 41. h *Psal.* 90.

§ 14.

Virtutem laudat, & per quæ acquiratur, explicat.

Benedictionem dabit Legislator, ibunt de Virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion, *Psalm* 83 *v.* 8.

1. NObilis est Virtus, figit super Æthera sedem,
Conculcat terrena pede, ad Cœlestia tendit
k Vivit in æternum, moritur post funera nunquam
Est Regina potens, cujus sunt præmia larga,
l Quæ non distribuit, nisi post fera prælia belli,
Tunc accepta magis fiet victoria parta
a Nil est Virtuti durum, quod non leve reddit,
Dum generosus adest animus qui mollia spernit,
Vt Rosa, punctivis obcingitur vndique spinis,
Virtutem sic dura fovent, & tristia firmant,
b Illa voluptates spernit, de vulnere gaudet,
c Vt medicina Animæ præponit tristia lætis,
Semper in adversis, sibimet pulcherrima merces.

§ 15.

Iustitiam servandam præcipit & ejus violationem prohibet.

Pro Justitia agonizare pro Anima tua, & usque ad mortem certa pro Justitia, & Deus expugnabit pro te, inimicos tuos. *Eccles.* 4 *v* 33.

d PRotege Justitiam, toto conamine cordis,
e Pro qua servanda, malis profundere vitam:

i *Rom.* 5 k *Iudith* 11. l 1. *Corinth.* 9 a 1. *Timoth* 4 *ibid.* 2 a *Roman.* 5 b 2 *Corinth.* 12 c *ibid*, d *Eccl.* 5. 4 e *ibid.*

f Est Virtus pergrata Deo, vicinaque Cœlo,
Jus cuicunque suum tribuit, dum justa requirit,
Quæ, coram toto, faciet clarescere mundo,
g Quando malis pœnas, & reddet præmia justis
Proterit injustos, summusque nocentibus hostis
h Et sine respectu, æquâ librat cuncta bilance;
Justitia læsa, turbat confusio Mundum,
Nullus & ordo manet; neve hospes ab hospite tutus
Pro libituque, Bonis, Fur, Prædo, Latroque nocebit.

§ 16.

Personis miserabilibus & Pauperibus subveniendum docet: & merita Elemosynarum explicat.

Fili Eleemosynam Pauperis ne defraudes, & oculos tuos, ne avertas a Paupere, *Eccles.* 4. v. 1.

a Afflictis, ægris, miseris, prius esto Patronus,
b Hi te defendent, cum mortis venerit hora;
c Pauperibus facilis, largam quoque porrige dextrã,
d Thesaurosque tuos, Cœlo præmitte fugaces,
e Quos Fur non rapiet, nec bellum aut flamma vorabit,
f Sed certi remanent, totus licet arserit orbis:
g Gratior ut lux est præcedens, luce sequente.
h Sic data, cum vivis, quam quæ fiunt morte relicta,
i Tum veras acquiris opes, geminamque coronam,
k Impones capiti, meriti fulgore coruscam:
Fœnore dum tanto edoctus, divendere merces:
l Hinc tua da, tua dum sunt, post mortem tua non sunt.

§ 17

f *Psal.* 84 g *Matth.* 25 h *Psal.* 57 a *Isa.* 1 b *Iob* 29 c *Iob* 31 *Eccl.* 4 d *Luc.* 16 e *Matth.* 6 f *Eccl.* 29 g *Isa.* 58 h *Tobiæ* 4 i *Eccl.* 72 k *Matth.* 25 l *Eccl.* 7

§ 17.

Carpit in vita Avaros, & post mortem largos in eos, qui ex relictis, occasionem majoris damnationis accipiunt.

Est & alia infirmitas pessima, quam vidi sub Sole Divitiæ conservatæ in malum Domini sui, *Eccles.5.v.12.* Nec tribuit ei potestatem Deus, ut comedat ex eis, sed homo extraneus vorabit eas. *Ib, cap.6.v.2.*

m HÆres nam forsan, cui tu bona cuncta reservas
Funere curato, mox Bachanalia vivet,
Gavisus de morte tua, variisque relictis,
Effectus Dives, Cristas magis eriget altas,
n Consumetque brevi, longo congesta labore
o Vsibus & propriis, stulte subtracta frequenter,
a Injustisve modis. digito corrasa rapaci,
b Vt majora sibi acquirat fomenta malorum,
c Oblitusque tui, solum sua gaudia quærat,
Divitiasque datas, nec grato corde reponat,
d Augeat atque magis, tormenta futura dolorum:
Proderit ergo nihil, magis ast in morte nocebit,
Largum erga hæredes. Inopi parcumque fuisse,
e Qui Cœlum daret, ingratus quod surripit hæres;
Sic & in hoc mundo, Miser es, nec deinde beatus:
f Desipis haud nimium, cæca caligine captus,
g Cum tua largiri, in vita præstaret egenti
Luxuriæ alterius, quam quod post fata relinquas,

h Si

m Psal.48 n Eccles.4.o Luc.2 & 5 a Luca 15 b Idem 12 & Eccl.7 d Luca 16 e Tob.12 f Psal.51 g Ec cl .7 4.

h Si mihi non credas, veniens mors ipsa docebit,
Cum prodesse nequit, sero medicina parata.

§ 18.

Explicat fructus intentionis rectæ, & conformitatis humanæ voluntatis cum Divina.

Vivus est sermo Dei, & efficax, &c. & discretor cogitationum, & intentionum cordis. *Hebr.* 4 *v.* 12. In capite Libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei, *Psal.* 39 *v.* 9.

ACcipe Consilium solatia magna daturum,
Quod bene servatum, menti conferre quietem.
Et meritum cumulare potest, si intentio recta,
i Sit defixa Deo, tua conformisque voluntas,
a Divinæ fuerit, quamvis contraria surgant,
b Exilium, *c* carcer, *d* rerum jactura tuarum
Injustæ lites, mors *e* ipsa, *m* calumnia falsa,
n Paupertas, *o* morbus, contemptus & omnia dura,
p Æquo si fuerint tolerataque pectore forti,
q Nulla tuam lædet, tunc perturbatio mentem,
r Sed majora dabunt, pacato gaudia cordi,
s Est animus talis, veluti mons firmaque rupes,
t Quæ nec fulminibus, nec tempestate movetur,
u Sed manet æqualis, quamvis hæc machina mundi
x Mota loco fuerit, supremaque mixta profundis:

z Est

h Matth. 25 i Matth. 6 a *Actor.* 21 b 2. *Mach.* 6. 3 c *Gen* 39 d *Iob* 1 e *Marci* 6 m *Daniel.* 13 n *Psal.* 71 o *Luca* 6 p 38 q *Rom.* 5 2 *Corinth:* 12 r *Psal.* 124 s *Psal* 17 t *Psa* [illegible] *Sap.* 12 x *Matth.* 5.

z Est animæ lumen fulgens, intentio recta,
Reddit opus quodcunque, Deo acceptabile semper
y Obscurat tenebris, si recta intentio desit:
Hinc tibi si vires desint, præstare quod optas,
Si tamen intendis bona, crede, placere Tonanti
Vota tua, atque horum, nunquam frustrabere fructu.

§ 19.

Duplicitatem cordis, & omnem fallaciam carpit.

Domine quis habitabit in Tabernaculo tuo &c. qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua; nec fecit Proximo suo malum, &c. *Psal* 14 v 1.2.& .3

aa Absint duplicitas animo; Mendacia *bb* lingua
cc Non lædas ullum, quævis *dd* Deceptio cesset:
ee Quidquid agis, loqueris, sint hæc conformia menti,
a Est inimica Deo, gemini fallacia cordis,
b Callidus hanc docuit Serpens, seductor Adami,
d Quam Deus, innumeris castigat sæpe flagellis,
e Qui semper verax, semper veracia quærit.

§ 20

z *Matth.*6 y *Luca* 18 aa *Eccl* 2 bb *Proverb.* 2 cc *Luca* 3 dd *Proverb.* 11. ee *Psal.*14. a *Psal* 49 b *Gen.*3 d 3. *Regum* 2 e *Psal* 88 & 118.

§ 20.

Cordis Contritionem, & Dei Timorem inculcat.

Timor Domini expellit peccatum: nam qui sine Timore est, non poterit justificari. *Ecclesi.v.27.*

f Corgere Contritum, à vitiis longeque remotum.
g Divini clavis illud confige timoris,
Peccati hic frænum est, stimulus virtutis acutus;
h Qui plures, animis fecit tabescere, sanctos,
i Peccati labes, quamvis vix tangeret ulla,
Nam velut indomitus, rupto fræno, atque capistro,
Spernit Equus Dominum, pedibusque recalcitrat ipsis,
k Sic ruit in quævis, malesanus crimina præceps,
l Excutiendo Dei, sanctum de corde Timorem:
m Hic si deficiat, spes est vix ulla Salutis:
n Evasisse putasne mali quæs conscia facti,
o Mens habet attonitos, & cæco verbere cædit,
p Occulto quatiente animum Tortore flagello?
Falleris & tandem, deceptio crassa patebit:
Est intra mentem, qui advertit ad omnia Testis,
Et nihil in vita, seu morte relinquit inultum,
a Multos, magna nimis fiducia sæpe fefellit,
b Dum minime timidi, quævis secura putabant,
c Qui tamen, ut recto pisces capiuntur ab hamo,
d Dum minime sperant, subito rapiuntur ad orcum

§ 21.

f *Psal.* 50 g *Psal.* 118 h *Psal.* 33 i *Iob* 31 *Habacuc* 3. *Psal.* 118 k *Ierem.* 8 l *Ecclesi.* 17. *Ecclesi.* 8 m *Eccl.* 1 n *Psal.* 6. o. 1 *Machab.* 6 p 2 *Machab.* 9. a 4 *Reg.* 18 b *Luca* 16 c *Eccl.* 9 d *Luca* 12

§ 21.

Vespertinum Conscientiæ Examen, & Angelicam tutelam invocandam monet.

Si dedero somnum oculis meis, & Palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis donec inveniam locum Domino, Tabernaculum Deo Jacob, *Psal.* 131 *v.* 4.

NE somnum capias, nisi singula facta diei
e Scrutatus fueris, sincero Examine mentis,
f Et si peccasti, veniam de crimine posce:
g Tutelæ Angelicæ, post te committe fideli,
Ne Mors, nocte tuam rapiat de corpore vitam,
Judiciumque Dei subeas, non recte paratus,
Comprimat ac Hostes, noctis phantasmata pellat
Tum poteris, placidæ componere membra quieti.

§ 22.

Quid mane surgenti faciendum, exponit.

Præveni in maturitate, & clamavi, quia in verba tua supersperavi, prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua, *Psal.* 118 *v.* 47.

h MAne vigil, tibi præ reliquis sit maxima cura,
Vt grates referas, *i* placide de nocte peracta,
Omnia quæque die occurrent, dispone gerenda,

e *Psal.* 76 f *Psal.* 50 & 37 g *Psal.* 40 *Exodi* 23 h *Proverb.* 8 *Psal.* 62 i *Psal.* 87 & 118.

Quæ fore grata Deo, atque Animæ prodesse putabis
Quem simul & *k* cordis votis exposcito summis,
Vt te defendat variis â fraudibus hostis,
a Vllius labis ne te contagio lædat:
Sic sine nube, dies transibit, luce serena,
b Duraque nec tristem reddent, nec prospera lætum

§ 23.

Honorum & Divitiarum contemptum suadet, & pericula eorum memorat, Humilesque consolatur.

Horrende & cito apparebit vobis, quia judicium durissimum his, qui præsunt, fiet, exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur, *Sap.6 v.6.*

c Carnis delicias, & mundi gaudia vita,
d Divitias, laudes, vanos hominumque favores
Et quæ magna putat, qui horum possessus amore,
Cum noceant Animæ, carni quæ grata videntur,
Vernantesque Rosas, spinarum copia cingat.
e Majori fructu, quæres mansura per ævum,
Nec sapies altum, medio tutissimus ibis,
Inferiora minus, quam quæ sunt alta, nocebunt.
f Magni, magna luent, posthac tormenta dolorum,
Præ reliquis illi, quibus est concessa potestas
Vt præsint aliis, duro si more gubernent,
Imperioque gravi, afflictis cervicibus instent,
Aut onera imponant humeris, superantia vires,

g Diffi-

*k Psal.*100 & 124 *a Psal.*118 *b Psal.* 22 & 26 *c Matth.*19 *d Psa.*:61 *e Matth.*6 *f Apoc.*18, *Sapi:*6.

g Dissimulentque mala, ut vincant zizania semen
Utile, sicque premant, ut vix emergere possit:
Tunc vasto alterius vitii, se gurgite mergent:
Et peccata luent aliena, ut propria facta,
Cum lolium excrescens, nec publica scandala tollant:
Hos fructus referet, mala conniventia Magnis,
Effugit hybernas, demissa antenna procellas,
Magnaque plus parvis, perstringunt carbasa venti,
Non adeo est ratio privatis danda severa,
Quam sit Divitibus, seu qui lætantur honore,
a Quæ reddenda Deo juxta concessa talenta,
His vero major, quibus hic concredidit ampla:
b In Terra, Cœloque simul, vix gaudia carpes,
Hæc modo si quæris, veris privaberis olim,
c In Mundo, vix est ullus fœlicior, illo.
d Qui contentus, agit placidos, inglorius annos,
Inservitque Deo, tractat Cœlestia mente,
e Divitias aliis, curasque relinquit inanes
Quæ pacem cordis tollunt, animæque quietem,
f Instar spinarum pungunt, acuuntque dolorem,
Tristia cum turbent, faciunt & læta superbum,
Ut feret, instabilis variatis temporis usus:
g Impedit infirmum, grato ut requiescere somno,
Affligens, dolor, aut vertigo molesta cerebri:
h Sic rerum cupidum, mala sollicitudo fatigat,
Æs habeat Crœsi licet, aut Junonia regna.

g *Decreti* I.*parte distinct*.83 *cap*.3. *Error cui non resistitur, approbatur, & veritas cum minime defensatur, opprimitur, negligere cum possis, deturbare perversos, nihil aliud est quam fovere, ibid: cap. consentire, &c.* a *Matth*.25 b *Luca* 16 c *Prov*:12 d *Prov*.27 & 28 e *Luca* 8. f *Ibid*. g *Eccl*.31 h *Eccles*.28.

§ 24.

Sacramentorum Virtutes explicat.

Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia, *Ephes 5. v. 32.*

Coelestis doni, sunt *Sacramenta* canales,
a Sanguine quos roseo, eduxit de corpore Christus.
Quem manibus, latere, ac pedibus profudit abunde
b Sunt cibus hæc animæ, & medicamina certa salutis,
Ad Cœlum ducunt, pura si mente frequentes,
c Mortem animæ tollunt. vitiis quæ illata frequenter,
Efficiunt nitidam, puro quasi flumine lotam:
d Sunt Oleum, & Vinum sanans, queis læsus ab hoste.
Curatur, ne animam, lethalia vulnera perdant,
e Sunt Iordanis aquæ, validæ curare leprosos,
Si sese immergant, studeant & tollere sordes,
f Aenea sunt Maria, abstergunt quæ crimina vitæ:
g Naufragus, ut capta Tabulâ, se servat in vndis,
h Securam reddunt sic, SACRAMENTA *Salutem*:
Hinc, si Tartareo, fueris superatus ab hoste,
His armis victum poteris prosternere Victor.

§ 25.

a S. *Augustinus in Psal.* 126 & *tract:* 20 *in Ioan:* b *Ioann:* 6 c *Ibid* d *Luca* 10 e 4 *Reg:* 5 f 1. *Paralipp.* 18 g 2 *Corinth:* 5 h *S Ieronimus in Epistolis.*

§ 25.

Superbiam, & cætera vitia capitalia vitanda docet.

Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. *Iacobi* 4. *v.* 6.
Sicut in die honeste ambulemus, non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, &c. *Rom* 14 *v.*

i INvidia, Ebrietas, Detractio, Murmur, & Ira
k Luxuries, Fastus, Luxus, Gula, Rancor & omnis,
l Peccati Soboles, fugienda est, aspidis instar:
m His vitiis mersi, exponunt se mille periclis
Corporis atque animæ, raraque quiete fruuntur
n Nulla Deo vitii labes, plus displicet illâ,
Quam sibi præsumit, damnata superbia mentis,
Hæc olet ante Deum, fœtetque cadaveris instar,
a Luciferum hæc Cœlo, paradyso extrusit *b* Adamum:
c Hinc, quæ est causa tibi, vili de semine natæ?
d Serpentum socio, qui vermibus esca futurus?
Exaltandi animum, cristas attollere in altum?
Cum nil ferme habeas, quod laudis nomine dignum:
e Si quid habere putes, Donis adscribe supernis,
Quæ dantur, laudis Divinæ, ut gloria crescat,
Ni facias, temere Cœlestem assumis honorem,
Inva-

i *Gal.* 5 k *Roma*: 14. *Psal.* 100. l *Eccl.* 20 m *Roma*: 1. n *Proverb.* 16. a *Apoc.* 12 b *Gen*: 3 *Iob* 14. d *Iob* 17. c in *Corinth.* 4.

Invadisque animo, quæ sunt aliena rapaci:
f Nulla, Dei mentem, elati compassio tangit,
g Hanc gerit erga humiles, quibus est submissio cordis,
Quæ se demittit, propriis nec laudibus effert.

§ 26.

Vitam, & Passionem Christi meditandam docet

a Aspicientes in Authorem fidei, & consummatorem IESUM, qui proposito sibi gaudio, sustinuit Crucem, confusione contempta, recogitate enim eum, qui talem sustinuit à Peccatoribus, adversus seipsum contradictionem. *Hebr.* 12. *v.* 3.

FAsciculus Mirrhæ, Christi fit Passio amara
h Hanc si animo grato, sincero & corde revolvas,
i Fortis erit clypeus, contra adversantia quævis,
Hanc oculis præfige tuis, meditare frequenter.
Proderit, hæc animæ multum, doctrina saluti,
k Quam factis docuit, Verbum, Deitatis Imago,
Vindex peccati, æterni Sapientia Patris,
Dum pro te voluit, varios sufferre dolores
a vinciri, colaphis cædi, dirisque flagellis,
Atque caput spinis, plexo diademate cingi,
Velari, ludi, spoliari veste, Crucisque
b Dirum Supplicium, despecta in morte subire.
c Inde Latus sanctum, reserari cuspide ferri,
d Hunc pro peccatis, Calicem potavit amarum,
Ne

f Iacob. 4. *g Luca* 1. *Psal.* 138 & 135 *h Cant.* 1 *i Numer.* 21 *k* 1 *Petri* 2. *a Matth.* 27 *b Luca* 23 *c Ioan.* 19. *d Matth.* 26.

Ne tibi displiceant, quæ sunt adversa ferenda:
d Hæc si nulla tuam, tangat compassio mentem,
e Durior es lapide, & Brutis animantibus ipsis:
f Sol tenebris tectus, quatiens cum murmure tellus,
g Disrupti lapides, veli consissio Templi,
Hæc animum moveant, ut grato corde revolvat,
Et lachrymas fundendo, suum testetur Amorem,
Quo Christo obstrictus, prose qui talia passus.

§ 27.

Beneficia Dei, grato animo, recolenda consulit.

Benedic Anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, Nomini sancto eius. Benedic Anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones eius, &c. *Psal* 102. *v.* 182.

h Sunt Benefacta Dei, devota mente colenda,
i Præfigenda oculis semper, ne oblivio tollat,
Dissipat ut ventus pluvias, exsiccat & arva,
k Sic ingratus homo, privat se rore favoris
l Cælestis, Benefacta Dei, vix corde revolvens,
Indignus vitâ, & communi lumine solis:
Dicitur ingratus saxis plus durior ipsis,
Mollibus hæc cedunt, repetitis sæpius undis.
Angues sævitia, crudeli pectore Tygres
Vrsos, & lamias, superat feritate Dracones,
Qui Benefactori, grates, pro munere reddunt:
a Cumque Deo dignas, nequeas persolvere laudes,
Offer

d *Matth.* 26. 1 *Petri* 3 e *Coloss* 3 f *Luca* 23 g *Matth:* 7 h 2. *Corinth.* 1. i. 2 *Thess.* 1. 1 k *Sap.* 16 l *Eccles.* 19. a *Psal:* 102 *Luc.* 1.

b Offer quod poteris, cui grata est recta voluntas;
Si Volucres cantu, si cuncta creata loquantur,
Vix benefacta Dei minima vel parte referrent,
Ergo homo quidpoterit pro tantis reddere donis
condignum? Nil: sola placet submissio Cordis,
Atque Animus gratus pansis quem suscepit ulnis

§ 28.

Sanctos invocandos, & imitandos docet.

Sancti per fidem vicerunt Regna, operati sunt justitiã; adepti sunt repromissiones, lapidati sunt, secti sunt; in occ sione gladii mortui sunt. *Hebraeor.* 11. *v* 33 & 37.

c Gaudia Sanctorum, devotâ mente revolve,
d Festivi rutilæ qui fulgent Lampadis instar,
e De victo Mundo, *Sathana* cum morte triumphum
f Concelebrant, semperque Deî, magnalia cantant,
Ipsorum, pro fine bono pia vota precare,
g Quos tibi Fautores reddes, exempla sequendo:
h Quid non fecerunt Sancti. dum vita manebat?
Quid non perpessi, raperent ut præmia Cæli
i Experti laqueos, gladios, ergastula, furcas,
Ignes, ac lapides, virgasque, Rotasque, Crucesque
Pauperiem, exilium, frigus mortesque probrosas,
Et miseram in Mundo vitam, cum morte trahebant
Et tu, credo, voles ipsorum sorte beari?
Hanc sperare potes, vitam moresque sequendo.

§ 29

b *Lucæ* 1 c 149 d *Sapi*:3 e *Isaia* 9 f *Apoc*. 5 g 1 *Corinth*. 11 h *Sap*:3 i *Hebr*. 11.

§ 29.

Beatam Mariam Virginem honorandam hortatur, eiusque figuras & laudes ex S. Litteris & Vaticiniis Prophetarum depraedicat.

Ne timeas Maria, invenisti gratiam apud Deum, &c. Spiritus S. superveniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi, &c, *Luca* 1. *v*. 30. & 31.

PRæ cunctis, Christi Matrem, tibi quære Patronam.
Est Pia, compatiens, est clemens atque benigna,
a Est Virtute potens, petit, impetrat omnia, quæ vult:
b Hæc Christo vicina sedet, Triadique supremæ.
Post quam, Cœlorum, & Terræ moderatur habenas
Despicit haud ullum, cunctis solatia præstat,
c Astat in adversis, & mortis protegit hora?
Nec sibi devotos, patitur sentire tenebras
Æternæ mortis, lætos sed ducit ad Astra:
d Laus omnis, debetur ei, quæ Corpore Christum
Gessit, morte sua, qui nos, à morte redemit:
e Pacifera hanc signat, dimissa Columba Noemi,
f Arca Dei, tum *g* Scala Iacob, Vellus *h* Gedeonis,
Et *i* Lignum vitæ. Navisque k cibaria portans,
Tum *l* Rosa de Ioricho, in Bethlem *m* Cisterna Davidis,

Fons

a *Ioan*. 2. b *S. Bernardus de Assumptione B. Mariæ, V. Ser.* 1. c *Ioan*: 19 d *Luca* 11 e *Gen*. 8 f *Exod*: 25 g *Gen*. 28 h *Iudic* 6 i *Gen*. 2 & 3: k *Proverb*: 31 l *Eccles*: 24 m 2: *Reg*: 23

Fons *n* obsignatus, revirescens Virga *o* Aaronis.
Hortus *p* conclusus, veri Paradysus *r* Adami,
a Manna pluens Cœlo, Rubus *b* incombustus ab igne.
c Arcus Cœlestis Divini fœderis index,
d Stella ferens lucem, Area *e* Noe, Iesseia *f* Virga,
g Porta reclusa Deo, quam non pertransiit alter,
h Nomen Evæ impositum, quando appellata Virago
Vivorum Mater, Mulier, *i* quæ conteritura
Serpentis caput, insidias victura maligni,
k Consurgens Aurora, nitens *l* Sol, Luna *m* decora,
n Mons Libanus, procera Cedrus, Templum *o* Salomonis,
p Suspirans Turtur, sponsi *q* gratissima sponsa,
r Abisag, *f* Abigael, *t* Iahel, *u* Hester, *x* Debbora *z* Iudith,
y Gratia divina, implevit pia viscera cordis,
Qua plenam, Gabriel divino affatus ab ore est,
Semper Honos, Nomenque ejus, laudesque manebunt.
Hinc nunquam cessi Matri servire MARIÆ,
Impensum Officium, magno quæ fœnore reddet.

§ 30.

n *Cant.* 4 . o *Numer.* 17 *Hebr.* 9 p *Cant.* 4 r *Genesis* 2. a *Exodi* 16. *Deuter.* 8 *Ioan.* 6 b *Exodi* 3 *Actor* : 7 c *Genesis* 9. d *Eccles* 50: e *Genesis* 6 f *Isa* 11 g *Ezech* 44: h *Genes*: 2 i *Genes*: 3 k *Cant*: 6 l *Cant* 6 m *Ibid*: n *Eccl.* 24, o 3 *Regum* 10 p *Cant*: 8 q *Cant*: 4 r 3 *Regum* f 1 *Regum* 25 t *Iudic* 4 u *Esther* 8 x *Iudith* 4 z *Iudith*, 13 y *Lucæ* 1.

§ 30.

Præcipit carnalium Appetituum mortificationem, & salutare sui odium.

Si secundum carnem vixeritis, moriemini, si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis, *Rom*, 8 *v*, 13.

aa CORporis atq; animi, vitiosos comprime motus
bb Et, quæcunque facis, rationis subiice fræno
Nec victus cedas, quantumvis vrgeat hostis,
Ne malesuada Caro, *Sathanas*, Mundusve triumphent.
a Molliter haud tracta, nimium nec dilige corpus,
b Spiritus at carni præsit, vincatque rebellem,
Subtrahe ligna foco, nimium ne se exerat Ignis:
Præpedit interdum, sublata occasio furtum
Vt puer, imbutus perversis moribus olim,
c Insultat, quæ non correxit crimina, Matri,
Nec verba, aut virgas, posthac nec verbera curat,
*V*tque Equus indomitus, præceps evadit & asper:
d Sic assueta caro vitiis, quæ fræna recusat,
e Ad mala proclivis, proprio quasi pondere vergit
f Ast revocare gradum, pravos deponere mores,
g Hoc opus, hic labor est, si consuetudo malorum
h Prævaleat, magno quæ devincenda labore est,
i Quo vix utilior, nullus præstantior illo est,
k Hoc non Divitiæ, vani ve parantur honores,
l Quos mundus quærit, sunt ejus præmia Cœlum,
Quem bene si sapias, nunquam perferre recusa:

Est

aa *Coloss*: 3 bb *Gen* 4 a 1 *Corinth*: 9 b *Rom*: 8 c *Eccl*; 30, d *Gen* 6 e *Psalm*: 8 & 37 f *Ephes* 6 g *Roma*: 6 h *ibidem*, i *Eccles*. 7 1 *Corinth* 9 k *Psal*: 68 l *Apoc*. 14

m Est labor hic dulcis, fusceptus corde volenti,
n At gravis invito, peccati aut pondere onusto
Si servus dominetur Hero, præposterus ordo est,
Sic, si cæca caro, victa ratione gubernet
o Infer vim vitiis, illis impone capistrum
Sic prudens mercator eris, qui lucra reportat
Mercibus exiguis, quæ non perdentur in undis:
Si durum nimis apparet, quod suadeo, bellum,
Perversâ quod semper erit cum carne gerendum?
p Cunctos mortales noris ad prælia natos
a Non vero ad requiem, semper namque excubat hostis;
b Vim Regnum Cæli patitur, fortissima quærit
c Pectora, quæ hostiles possint superare phalanges:
Quod tibi, profuso mercatus Sanguine Christus,
Tun speras facile, & sine pugna aut cæde lucrari?
d Sic Christo, sanctisque fores felicior ipsis,
e Qui variis, illud meruêre acquirere pugnis.

§ 31.

Suadet externorum sensuum, linguæque custodiam,

Dixi custodiam vias meas, ut non delinquam in linguâ meâ. *Psal.* 38. *v.* 1.

Si quis autem putat, se Religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. *Iacobi* 1. *v.* 26.

f EXterni sensus, sunt crebra occasio lapsus,
Ni vigil, & prudens, adsit custodia ubique:
g Claude

m *Psal* 118 *&* 127 n 1 *Corinth*: 15. o 1 *Corinth*, 9 p *Iob* 7. 2 *Corint*, 10 *&* 14 a 1 *Pet*. 5 b *Matth*. 11. c *Marci* 10 *Galat*, 4 d *Luc*. 21 e *Hebr*, 9 f *Gen*. 3 *&* 8

g Claude oculos, Aures sepi, Linguamque refræna,
h Et noli auditu, nec visu admittere quidquam,
Aut fari, nisi, quod rationi consonat æquæ:
i Sunt spinis, claudendæ aures, dum lingua proterva,
k Nequiter effutit, quæ aliis prolata nocebunt,
Quid sonus, alterius prodest deductus ab ore?
Aëra percutiens, nullâ utilitate relictâ
Infligens Animæ crudelia vulnera mortis.
l Prædo animæ, est oculus nequam, mala forte pusillis
Scandala si præbet, Christo suadente Magistro,
m Nullus formides, oculi tibi tollere lumen.
Hoc etenim præstat, quam adeas utroque gehennam.
a Nonne exempla docent, cupidi lascivia ocelli,
Quæ mala causârit, memor es Davidis, *b* & Evæ?
c Ac Dinæ, amisit castum, quæ corpore florem,
d Insidiasque, senes quales struxêre Susannæ?
Pluribus immo Bonis, visum nocuisse frequenter?
Quid juvat aspectus, si non conceditur usus?
Nil nisi, quod major, vexet turbatio, Mentem:
Millia quid referam, funesta pericula linguæ?
e Queis sese exponit, fræni illi lora remittens.
f Hæc binis labiis, & dentibus ordine cincta est,
g Vt nil imprudens, nil proferat ore nefandum:
h Est inimica Deo, feriens de more sagittæ,
Lingua nocens, aliis incommoda plurima causans;
Nascitur ex vitio Linguæ, sentina malorum,
i Odia cum bello, lites, infamia, cædes,

Diffi-

g *Psal.* 118 h *Psal.* 38 i *Eccl.* 28 k *Psal.* 37 l *Threnor.* 3 m *Matth.* 18 a *Gen.* 3 b 2 *Regum* 11 c *Genesis* 34 d *Dani.* 13 e *Proverb.* 18 f *Psal.* 38 g *Iob.* 30 h *Ierem.* 9. *Psal.* 49 i *Iacob.* 4.

Diffidia,& rixæ,maledictio,luxus,& ira:
Exerit ut pestis contagio,virus in omnes,
Vicinasque prius,mox quasvis corripit ædes,
Urbibus,& Regnis,causam dat,sæpe ruinæ,
Non parcens ulli,quisvis contraria sentit,
k Ut solet,ingentem scintilla accendere sylvam
Sic lingua,exiguum membrum,sublimia vastat.
Perversa linguâ,nil toto peius in orbe,
Omnia pervolitat,pervertit plurima;fingens,
l Et lingens,pupans,& acuta cuspide pungens
Per fora,per plateas,per claustra,domosque pererrat.
Permittit paucis requiem,sit dives,inopsve,
Servus,seu Dominus,Laicus seu Religiosus,
Non levius,citiusque malum committitur ullum,
Quam,quod,perversæ inducit petulantia linguæ,
Qua,peccare potest,tam æger,quam corpore sanus
m Perversæ linguæ,mundum complevit abusus,
n Quem,nec sæva potest,inferni tollere pœna.
Cujus grata venenatæ sunt,pabula linguæ:
O Monstrum,stigii mergendum fluctibus amnis,
a Tantaleâque siti dignum,pœnaque Epulonis,
Qui stillam gelidæ poscens,non obtinet undæ.

§ 32.

Otium vitandum & temporis rationem habendam docet.

Qui operatur terram suam, satiabitur panibus,qui autem sectatur otium , stultissimus est,*Proverb* 12 *v.*11.

b OTia devita,vitiis quæ alimenta ministrant,
c Desidiosus homo,vitæ vix munere dignus,
d Otia

k *Jacob* 3 l *Eccl.* 51 *Psal.* 56 & 63 m *Psal.* 56 n *Apoc.* 16 a *Luca* 16 b *Eccles.* 33 c *Matth.* 20.

d Otia cunctorum sunt incentiva malorum,
Hæc si sustuleris, periere cupidinis arcus,
Pabula peccati, quæ deses inertia nutrit:
e Temporis elapsi, Deus omnia puncta reposcet,
Quid dictum, factum secreta mente peractum
f Cunctaque quæ fiunt de Cæli prospicit aula:
Est tempus, fulvo longe preciosius auro,
Tota hominumque salus transacto ex tempore pendet:
Et tamen, acceptas perdis tam turpiter horas,
Atque Dies, Mensesque Annosq;, & plurima lustra,
g Nulla operum studio, collecta fruge bonorum,
An speras, inculta feret tibi vinea botros?
Arva inarata cibos, speratæ præmia messis?
Erras, hæc studio: multoque paranda labore.

§ 33.

Mansuetudinem laudat, nec ulli detrahendum, vel Detractorem audiendum præcipit

Mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. *Psal* 36.

Si mordet serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit, *Ecclesiast* 10. *v.* 11,

Sepi aurem tuam spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia & seras, *Ecclesiast* 28. *v.* 28.

a SIs cunctis placidus, mansuetus, sisque benignus
b Lenis, & ipsorum patienter suscipe mores,

C c Si

d *Prover*: 18 e *1. Ephes* 5 f *Psal*. 13 g *Matth*. 25 a *2. Timoth*. 2 b *Ephes*. 4.

c Si tamen offendant, vindictam quærere noli,
Sed magni meriti reputa, magnæque coronæ
Authorem, casu quisquis te læserit ullo.
d Expecta patiens Dominoque relinquito causam.
Sic, etenim prudens, sequeris vestigia Christi,
e Qui tulit ingratæ diversa opprobria gentis,
Et veniet major tibi consolatio Cælo:
f Ipse sed alterius famam, ne læseris unquam.
Hæc reddenda magis quam res externa jubetur
g Ecquid in alterius mores, vitamque reflectis
Obliquos oculos? proprios attendito gressus,
Et cave, ne titubes proprio sub pondere pressus,
h Nam proprium cujcunque onus, est portare necesse,
Non quod in alterius, tergo est, humerisque alienis,
i Num stultum censes, aliorum carpere nævos,
Et turpes, proprii maculas, non cernere vultus?
Heu, quoties rancore malo, invidiaque laborans,
k Condemnas Rectum, pravus, defendis iniquum,
Vt fert affectus, rationem passio vincens,
Quam vocitas, sancto Divinum nomine Zelum;
a Trabs oculis infixa tuis, festuca videtur,
At festuca hærens, alieno in lumine trabs est,
Sic lippum, infirmus visus, te fallit ubique:
Rectius in proprium, torqueres lumina pectus,
b Lurida multorum vitiorum, ubi monstra videres,
Vtilis, hæc propriæ foret, exploratio vitæ,
Qua festuca prius, nunc trabs tibi vasta pateret;
c Sæpius auditu, graviter peccatur, ut ore,

d N

c 1 *Reg*. 24 & *Genesis* 45 d *Luca* 21 & *Coloss*. 1 & 3 e *Psal*. 1 & 30. f *Sapi*: 1 *Iac*. 4 g *Rom*. 2 h *Galat*. 6 i *Psal*. 108 k *Luca* 18 a *Matth*. 5 b *Roma*: 4 c *Eccles*: 28.

d Ni detractori, patulas quis clauserit aures,
Et facie monstret, minime sibi dicta probari,
Namque Aquilo pluvias, ut ventus dissipat auras
e Sic facies tristis, dispellit crimina linguæ,
Vtque foco desint, si ligna, extinguitur ignis,
Peste, susurronum ablata, sic jurgia cessant
Et maledicta brevi sumet detractio finem.

§ 34.

Consortia prava declinanda docet.

Qui tetigerit picem, coinquinabitur ab ea, & qui communicaverit superbo, induet superbiam. *Ecclesiastici* 13. *v.* 1

f Associare bonis, consortia linque malorum.
g Quæ, facile abducunt incautum, tramite recto.
h Præcipitemque alto, vitiorum in gurgite mergunt
i Qui picis attigerit sordes, fœdabitur illis,
k Sic tumido, quisquis convixerit, atque superbo,
Induet ecce animo: cum vestibus, ipse cothurnos.
l Fermenti ut modico. corrumpitur integra massa,
Prava bonos perdit, sic consuetudo malorum:
a Natura in vitium præceps, velut impetus auræ,
b Aut lapis, ad centrum, nativo pondere fertur:
Callidus hæc nostris, infudit toxica serpens
c Visceribus, vetitum cum sumpsit ab arbore pomum
Infœlix Adam, genus à quo, ducimus omnes:
Nitimur in vetitum quotquot, cupimusque negata

§ 35

d *Ibidem* e *Proverb.* 25 f *Psal* 17 g *Eccles.* 13 h *Marci* 7. i *Eccles.* 13 k *Eccles.* 13 l 1 *Corinth.* 5 a *Gen.* 6 *psal.* 13. b *Galat.* 5 c *Gene.* 3

§ 35.

Consulit Sacramentalem Confessionem non differendam, & qualiter ea institui debeat docet.

Qui abscondit scelera sua, non dirigetur, qui autem confessus fuerit ; & reliquerit ea: misericordiam consequetur. *Proverb.* 28. v. 13.

d QVidquid delinquis, maturè expressa dolore
e Contriti cordis confessio, seria mundet:
f Absit, ut hoc dicas, peccavi, & quid mihi triste
Accidit? est etenim patiens Deus Arbiter. ergo
g Converti ad Dominum non tardes, nec male differ
Quotidie, subito veniet namque illius ira,
Teque, Malosque omnes, vindictæ tempore perdet:
h Nunc age prævenias, dum mors te exspectat ubiq;
Tollere, vel morbus, rationis frangere vires.
i Sæpius assiduo, si non renovetur aratro
Durus ager, duras, molli pro gramine spinas
Proferet, at duro, fuerit si vomere scissus,
Afferet optatam, maturo tempore messem:
Sic Animæ subigendus ager, studioque colendus,
Omnibus ut vitiis, vitiorum & semine purus
a Condignos grato, producat germine fructus:
Instrumenta cupis, culturæ accommoda tali,
Optimus hic vomer, pura & Confessio rastrum est,
b Hæc Cœli est clavis, certa hæc medicina malorum est,

c Fonsq;

d *Proverb.* 28 e *Psal.* 50 f *Eccles.* 5 g *Ibid.* h *Prov:* 10. i *Prov:* 24 a *Psal.* 125 b *Matth.* 16.

c Fonsque salutaris, maculas qui diluit omnes,
Restituens luci, tenebroso carcere dignum,
d Pœnam commutans, & tollens Numinis iram.
e Nulla sit, ergo tibi confusio, dicere verum,
Quo purà, impuram mundet, Confessio mentem,
Hæc tibi sit clypeus, contra ignea tela inimici,
Sit tutum, quoties instat Tentator, asylum:
Huc fuge, si stygius Venator retia tendat,
Huc properes, adsit si quando occasio lapsus,
Aut agat in vitium, carnem, corrupta voluntas,
Ne miser, inferni, diro superatus ab hoste,
Ludibrium superis fias, spoliumque barâthri;
O Homo peccator, vario qui crimine pressus,
Fœtens ante Deum, æternum damnatus ad ignem,
Compedibus vinctus Sathanæ, num corde reflectis?
Quid de te fieret, sententia quæque maneret?
f Horâ, si improvidum, te mors aufferret eâdem,
Ni cito pœniteas, crimen confessio tollat:
Hinc melius sæpe, ferratas rumpendo catenas,
g Quæque animam fœdant, damnant, peccata fatendo:
Nec pudor hinc revocet, suggestus Dæmonis astu,
a At magis, impendens Divini Numinis ira,
Et pudor æternus, toto coram orbe futurus,
Sumere te moneant, hæc commoda pharmaca vitæ:
Sæpius infirmum, solatur potio amara,
Sic peccatorem, Confessio mixta dolore.

c Zacha:13 d 2 Reg. 12 e Eccle,4 f Luca 12. g Psal.31 & 37 a Roman:1.

§ 36.

Explicat utilitates & effectus Divini Amoris, & devotæ Orationis, eiusque requisita, & distractionis nocumenta.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota Anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua; *Deutr.* 6. *Matth.* 22. *Marci* 12.

Si quid petiveritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, petite & accipietis; ut gaudium vestrum sit plenum, *Ioan,* 16. v. 24. *Matth.* 7 v. 11.

OMne tuum studium, cordisque intentio tota,
b Sollicitudo, labor, cura, & directio vitæ,
Tendat in augmentum, Divini semper Amoris
Semina sic spargis, quæ multiplicata resurgent
c Est Cœli Thesaurus Amor, pax inclyta cordis,
d Ignis continuus, qui non extinguitur unquam,
Si non deficiant, pia nutrimenta caloris,
Queis plenum est Cœlum, queis terræ machina abundat,
Pectore quæ sacram flammam collecta fovebunt
e Quot sunt dona Dei, tot sunt hæc symbola amoris
f Est operosus Amor permittens otia nunquam
Erumpit sursum, Cœlum petit, ardua quærit,
g Hic divinus Amor solus, sic sufficit omni,
Vt totum repleat, nullum permittat inane:

a Est

b *Psal* 118 c *Matth.* 13 d *Actor.* 2 *S. August. Meditat. cap.* 10 *S Bernardus in iubilo* e *Psal.* 10 : f 1 *Corinth.* 11.
g *S. Augustinus soliloquiorum cap.* 19.

a Eſt Amor ipſe Deus, fons omnis, & Author Amoris,
Jugiter hoc ardent, Cherubini cum Seraphinis:
b Omnia vincit Amor, mors ipſa, & cedit Amori,
c Hunc, ſi poſſideas, totum, quod quæris, habebis
Æternæ firmum pontem, ſternesque ſaluti,
Rumpendum nunquam, pereant licet omnia mundi:
d Provocat hunc ſanctum, devota Oratio amorem,
Detrahit è Cælis, humanis mentibus infert,
Non ſecus, ac magnes, trahit ad ſe pondera ferri,
Expellit tenebras, emollit pectora dura,
e Frigida cæleſti, perfundit corda calore,
f Quo ſuccenſus homo, ſapiet Cœleſtia dona,
g Omnia deſpiciet, mundi quæ gaudia fingunt;
h Eſt Animæ cibus, & jucunda refectio mentis,
i Hacce carens arida eſt, omni privata virores
k Triſtitiam fugat, & cordi ſolatia præbet,
l Certus in adverſis clypeus, defenſio murus,
m Securus portus, nullis cedendo procellis,
Quæ licet exurgant, nihil hæc tamen uſque nocebunt:
n Hinc nunquam ceſſet, vigilans ORATIO ab ore,
o Cordeque verſetur, deſint ſi occaſio, tempus.
p Scilicet ut fertur, volucris ſuper aera, pennis,
q Sic devote orans, volitat ſuper æthera Cœli,
r Et citius votis, acquirit ſæpe petita,
ſ Obtinet in puncto, quod non ſperabat in anno:
t Si tamen ad Tempus, Domino differre placebit,

 uSi

a 1 *Ioan.* 4 b *Cant.* 8 c *Matth.* 13 d *Actor.* 1 & 2 e *Pſal.* 38 f *Lucæ* 12 g *Philip.* 3 h *Pſal.* 118 i *Pſal.* 142 k *Iacob.* 5. l *Pſal.* 80 & 119 m *Pſal.* 22 & 26 n *Luc.* 18. o *Epheſ.* 6. p 2 *Paralip.* 7 q *Pſal.* 140 *Apo.* 5. r *Pſal.* 9 & 76 ſ *Pſal.* 9. ao *Iſa.* 65 t *Pſal.* 12.

u Sis patiens, cœptasque preces postponere noli.
a Nec desponde animum, geme, spera, instantius Ora:
b Arbor non uno, repetito sternitur ictu:
c Sæpius haud animæ, exaudita Oratio prodest:
d Hinc orando pete, ut fiat Divina voluntas,
e Sic meritum acquires pia quod Constantia donat,
f Diligit hanc Deus, in factis hanc quærit ubique
Constantesque Preces, fœlici fine coronat.
His capies, quæcunque voles, his vincitur ille,
Qui virtute potens, Mundo dominatur & astris,
g Et per dives opum, quævis sic fœnore reddit,
Vt nec aquæ potum, vacuum mercede relinquat:
Vt sit grata Deo tibimetque Oratio prosit,
h Spe munita Dei, Fidei sit cincta decore,
i Atque humilis cordis, k mortali à crimine pura,
Virtutes pete, peccata l emendare studeto,
m Redde Deo grates, grates benefacta reposcunt,
Hæc statue ante oculos, nulla hæc oblivio tollat
Sunt, ea plura magis, quam sunt in littore arenæ,
Neve æquare potes, nullasve rependere vices,
Hæc memorando, licet vitam consumpseris omnem,
n Nec prosunt animæ dum plurima verba profaris,
Si non, uncta pio cordi, Devotio vera:
o Nobilis hæc gemma est, magno quærenda labore,
Sanctarumque Precum Nucleus, succusque, medulla

Hæc

u *Ehcles*.1 *Luca* 8 a *Psal*.76 b *Ibid*, c *Psal*. 77 & 1.4. & 105 *Exod* 17 1 *Reg*.8 S. *Ambrosius de fide Resurrectionis*, d 1. *Mach*,3 *Matth*,6 & 26 e *Matth* 15 *Luca* 8 *Ioan*,20, S, *Gregor homilia* 25 f *Gen*,32 *Iosue* 10, g *Matth*,10 & 25 h *Daniel*,13 *Psal*.5 , 1 & 77 i *Eccl*,35 k *Psal* 49 *Isa*.1. l *Psal*.38 & 118 m *Psal*.33 & 115 *Philip*. 4. n *Isa*.19. *Matth*.15. *Marci* 7. o *Matth*.13.

Hæc si deficiat, vires, nec robur habebunt.
Corporis externos gestus, compone decenter,
a Custodique Oculos, non huc illucve reflecte,
Sæpe perit, tali inflexu devotio tota,
Est ingrata Deo, vanis Oratio mixta,
Ni revocando animum, pellas quæ vana recurrunt
b Vah mortalis Homo, pendes qui totus ab illo
c Mendicus, Servusque Dei, Peregrinus, Egenus,
d Ex cujus nutu, vitæ spiracula ducis,
e Quique à solo ipso, debes sperare salutem,
Et redis in nihilum, instanti ni protegat omni,
Huncine præsumis, distracto corde rogare
f Sæpius ignorans, labiis quæ verba profaris,
Ipse noces tibi, peccatis & semina præbes,
Orandoque magis Divinam colligis iram:
Rex qua fronte, tua audiret, stolidissima verba,
Quæ confusa nimis, vix forte intelligis ipse,
An non iratus pelli curares ab aula?
Et graviter lueres, tanti contemptor honoris?
g Sic faciet Deus, in precibus, si mente vageris,
Contemptumque sui, spreti zelabit Honoris:
Hinc ne aliunde nocens rapiat distractio mentem,
h Divino coram vultu, te stare memento,
Quem Sancti, Angelicique Chori, laudando tremiscunt,
Prostrati in facies, humili cum voce salutant,
i Qui notat, observatque preces, & intima cordis
Inspicit, atque audit, puro num corde rogetur

a Dat-

a *Psal.* 118 *Trenor.* 3 *Proverb.* 4. S, *Gregorius in Iob.* b *Psal.* 30 c *Psal.* 38 & 39. d *Dani.* 5 e *Psal.* 107 f *Isa.* 19 S. *Bernar: meditat. cap* 8 *sanct Chrysost. in serm* g *Matth.* 15 h *Proverb.* 15. *Apoc* 5 *sanct August meditat. cap* 24. i *Eccles.* 23. *Iob.* 13 & 31 *Psal.* 138.

a Datque locum precibus, seu spernens aure repel-
lit:
b Hæc animo concepta, DEI PRAESENTIA ubique
Vtilis oranti, impediet phantasmata vana,
Immissa à Sathanâ, meritorum ut præmia tollat:
Hæc si rite observes, nunquam Oratio fructum
Amittet, duplicem præfixo tempore reddet,

§ 37.

Suadet maturam rerum suarum, in sanitate dispositionem, & agonizantis hominis angustias, & extremam eius cum morte luctam describit.

Hæc dicit Dominus, dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives. *Isaia* 38. *v*. 1.

Tunc Domui dispone tuæ, æternæque saluti
Prospice, dum mentis compos, dum corpore sanus,
Ac tempus patitur, tantis incumbere curis,
Quas differre diu, stolidum est, plenumque periclis,
Quæ noſces, tristis veniet cum tempus agonis:
Difficile est homini, tunc invigilare saluti,
c Cum dolor affligit, morbusque augetur in horas,
Faucibus occludens halitum, & præcordia strin-
gens,
d Lingua, manusque, pedes, & cætera membra ri-
gescunt,
Lucem oculi fugiunt, auditus deficit ægro,
Cor salit, & languet, facies pallore repletur,

In-

a 1 *Reg*. 1, *& ibid*, 16 *Matth*. 8 *&* 20 b *Gen* 24 *Psal*. 118 *&* 141 *Eccl*. 34 *&* 39 c 2 *Macha*. 5. d *Petrus Damianus*

Ingeniumque perit, sitis ardet, lingua palato
Hæret, nec poterit quæ vult sermone profari,
Fastiditque cibos, requies somnusque recedit,
a Sperat, desperat, distenditur undique curis,
b Nunc latus in dextrum, se volvit, nuncque sinistrum,
Nec relevamen habet, motum superante dolore,
Pluraque tunc adsunt, diræ prænuntia mortis,
Agmine tum facto, invadunt peccata nocentem,
c De quibus, in vita, nunquam fortasse reflexit,
Vt totam veniæ spem, desperatio tollat,
Hinc lucta interna, hinc sequitur turbatio mentis,
Ancipitique metu, totus percellitur æger,
d Nescius inferni, vel Cæli sede locandus,
Dum ventura brevi, dubii conclusio finis.
Gaudia sanctorum, inferni aut tormenta daturus:
Assistunt ægro flentes, augentque dolorem,
Nil prodesse queunt, vitæ solatia desunt,
Tunc Draco Tartareus, gaudens, modo tempus adesse.
Speratum dudum, toties cur retra jecit,
e Advolat, immani ut prædam, degluttiat ore:
f Adstat & Angelicus Custos, defendat ut ægrum,
Auxiliumque ferat, rabido ne cedat in escam,
Accipiatque brevi, transactæ præmia pugnæ.
Vt postrema feret sententia, Iudicis æqui,
Sic de te pugnatur homo, & tamen immemor horum es?
g Corpus mandatur terræ, fit vermibus esca,
Deque salute Animæ, vix cura aut sollicitudo,
h Sed magis, ut rapiant, defuncti morte relicta,

a *sanct. Gregorius Emissenus in Homilia ad Monachas.*
b *Psal.* 40 c 2 *Macha.* 9 d *Eccles.* 9 e *Apoc.* 12 f *Lucæ* 16
g *Gen.* 3. *Iob*, 17 & 25 h *Eccl.* 6.

Queis veluti spoliis hostis quæ cepit ab hoste
Dicati læti celebrant Jovialia festa:
Hæc homo, vera sciens, securè an vivere pergis?
Despiciens ea, quæ certo ventura sciuntur?
a Evigila, nam tempus adest, expelle soporem,
Si modo non facias: nil post vigilare juvabit:
b Quid tunc divitias, mundique habuisse favores,
Agmina servorum, palatia splendida honores
Proderit? auxilium nequeant cum ferre saluti
Afflictura magis, positum in certamine finis,
Quid, rogo, facturus, tanto qui gurgite mersus?
c Interno, externoque carens solamine, solus?
Vndique respiciens, nullum succurrere cernens
d Tanta futurorum, profert oblivio damna,
Quæ spes longævæ vitæ, causatur inanis,
Vltima peccatis, claudat si, limina vitæ:
Hinc cape consilium, in mortis, quod proderit horâ,
Fac bona, cum poteris, mala, vita, respice finem
e Esto inopi largus, nec nummos arca reservet,
Hos hilari, largaque manu, disperge petenti,
Sic non discedes solus, comitatus Amicis,
Qui vigiles aderunt, & opem conferre parati,
Ne Leo diripiat rugiens, orcoque remittat:
Hæc, si sæpe tuam, subeat meditatio mentem,
Prospicies citius rebus, fatalia mortis
Expectans minimè, quæ tunc magis alta requirunt
Cum tua causa agitur, mortis, vitæve perennis
a A quâ finali, nunquam appellare licebit.

§ 38.

a Roma 3 b Proverb. 11. Psal. 48 & 75 c Eccl. 51 d Matth. 25 e Tob. 14. a Eccl. 11.

§ 38.

Spiritus & carnis luctam internam & qualiter se homo circa illam gerere debeat, explicat.

Spiritu ambulate, & desideria carnis, non perficietis, Caro enim concupiscit adversus Spiritum, Spiritus autem adversus carnem, ad *Galat.* 5. *v.* 15. *&* 16.

b Spiritus & Caro, cum semper luctentur in armis,
c Et Mundi, ac Sathanæ, nunquam certamina desint,
Nostraque diversis sit vita objecta periclis;
Quis solus poterit; pugnaces vincere turmas?
d Non nisi, qui vigilans, semperque paratus ad arma,
Divini clypeo bene sit munitus Amoris:
Nullus confidat nimium, nec stare quietus
Tentet, at in cunctas partes, sua lumina flectat:
Vtitur insidiis hostis, nec prodit apertò
Marte, sed improvidum, trahit in sua vincula captum:
e Hinc semper pavidus, nulli confide quieti,
Exoraque Deum, tua qui certamina cernit,
f Vt ferat Auxilium, assistat, defendat ab hoste,
Tunc securus eris, victoria certa sequetur,
Confususque hostis fugiet, pacemque relinquet
g Ad tempus, minimeque tamen, cessabit ab armis,
Inveniet que novas artes, fraudesque nocendi,

b *Hebr.* 6 c *Ephes.* 6 d 1 *Petr.* 5 e *Prov.* 28 f *Roma.* 10. g *Luca* 21.

Hinc repetenda prior pugna est, roburque virile
Sumendum, nec danda quies, nisi morte peractâ.

§ 39.

Describit gaudia sanctorum, & Cælestis Regni pulchritudinem.

Quam dilecta Tabernacula tua, Domine virtutum concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. *Psal.* 83. *v.* 1.
Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. *Psal.* 149. *v.* 5.

Est Homini communis Amor, qui fertur in omne
Quod putat, esse bonum, conferre & commoda posse,
a Sæpius illudit tamen, hæc Persuasio falsa,
b Cum bona vera putet, quæ sunt extrema malorum,
c Et quæ melle latent, post sint absynthia amara:
Hæc prodit finis, pro lætis tristia reddens:
d Ergo bonum mundi, dolus est, deceptio, fraus que,
e Est hamus, laqueus. Sathanæ fallaxque sagena,
f Blandaque Serpentis facies, cui cauda nociva
g Qua ferit incautos, infert mortisque venena,
h Et post deridet, sic quos infecit, ovatque
Vt victor lætus, prædas qui de hoste reportat:
i Hinc bona certa magis, quæ sunt æterna, require,
k Quæ Cœlo veniunt, stabilem referentia fructum,
Fraude dolisve carent, omnisque expertia fuci,

For-

a *Gen.* 2, 2 *Reg.* 11. b *Prover.* 23 *Gen.* 30. c *Daniel.* 13. *Iob.* 21 d *Sapi.* 5 e *Psal.* 139 f *Gen.* 3. 1. *Corinth.* 11. g *Apoc.* 17, h *Abacuc.* 1, i *Coloss.* 3 k *Iacobi* 1.

Fortunæve Rotæ, stabili fundamine nixæ:
a Hæc inter bona, perfectum summumque bonorum est,
Deposito vili, mortalis pondere vitæ,
b Aethereas animam sedes, conscendere lætam,
c Dilecto innixam placidè super æthera duci,
d Amplexu dextræ recipi, constringier ulnis,
e Electamque sponsam, pulchramque Columbam
f Dicier, impositum finemque audire laborum,
g Cælestem scribi Civem, diademate Regis
Cingier, innumeris Sanctorum cætibus addi.
h Dotibus ornari, Carni quas Gloria confert.
Subtilem esse, & clarum, impassibilemque agilemq;
i Vestiri bysso, nitidis splendescere gemmis,
k Candidulas gestare stolas, palmasque virentes
Lilia mixta Rosis, Violis intextaque serta,
l Sceptra aurata manu, dominatus signa tenere,
m Angelicos spectare Choros, convexa tueri
n Cœli, Divini radiari lumine Vultus,
o Dulcisonum resonare melos, gustare supernas
Delicias, grati satiari nectare potus,
p Et suavi externos sensus, dulcedine pasci:
q Per Cœli volitare polos, plus ocyus Euro,
Mente loqui, quæcunque voles, constare Beatis,
a Turbari nunquam, morbos mortemve timere,
Abstergi lachrymas, omnique carere dolore,

b Lu-

a *sanct Augustinus Meditat. Cap.* 23 b *Cant.* 6 & 8 c *Ibidem* d *Ibid* e *ibid* f *ibid* g Ephes. 2 *Tobiæ* 2 & 6 h *Psal.* 20 *Apoca.* 4 & 7 *sanct* Thomas *supplem qu:* 82, 83 & 84. i *Apoc.* 6 & 7 k *ibid.* l *sapi:* 10 m *Psal.* 35 1. *Ioan.* 3 n *Apoc.* 5 *Psal*, 41 o *Luca* 22 *Psal* 358 & 149 p *Isai.* 60, *Apoc*, 14 q *sanct.* Thomas *supplem: qu.* 84 *art.* 3, a *Apoc.* 21.

b Lunari subjecta globo, tormentaque averni
Spectare, & varias rerum cognoscere causas,
Iucundisque frui sociis, convescier illis:
c Contemplando Deum, nova gaudia carpere semper:
d Hæc sunt vera bona, æterno quæ tempore durant
Perpesuoque hujus vitæ, condigna labore.
Splendida quid referam, Sanctorum Habitacula Cœli?
Quæ miris ornata modis, pulcherrima visu:
e Portæ constructæ gemmis, auroque plateæ.
f Excelsi muri, Chrystalli more refulgent,
g Horum fundamenta, auri sunt lamina mundi,
h Iaspide, Chrysolitis, sapphiris mixta coruscant
i Smaragdis, hyacinthis, berillo atque amethysto
Chrysopraso, calcedonio, viridique topaze:
Sunt & majoris, vestigia plura decoris,
Quæ Deus in Cœlo, sanctis speciosa paravit:
k Omnia sed superat, Facies perfulgida Christi
Quæ fulgore suo, Cœlos illuminat omnes,
Hunc augent sacræ rutilantia VULNERA carnis,
Lancea, Crux, Clavi, & reliqua instrumenta salutis,
a Quæ retinet, veluti veteris vestigia Amoris,
Ac præclara magis, superato de hoste trophæa
Aspectu quorum Sanctorum, Gaudia, Amores,
Et Laudes crescunt, nullo quæ tempore cessant
b Hunc sequitur Soleni, pulcherrima Luna MARIA
Atria quæ Cœli, speciali luce serenat.
c Et veluti mane exurgens Aurora decorat,

d Excel-

b Lucæ 16 Isai ult. Psal. 79 1. Corinth. 11 c Apoc. 7 d Roman: 8 e Apoc, 21 ver. 12 f Ibid, g ibid, h ibid. i ibid. k Apoc, 21 vers. 14 a sanct; Ambrosius lib. 10 in Lucam, b Cant. 6 c ibid.

d Excelſo ſubvecta Throno, vicinaque Chriſto,
e Vt Regina poli, Sanctorum gloria ſumma,
Quos ut mater amat, ſummo dignatur honore,
Concivesve ſuos, jucunda voce ſalutat,
Veſtibus exornat pretioſis, munera donat
Nomine dilecti, Matris qui cuncta relinquit
Arbitrio pleno. placidis defertque petitis:
f Nil ſperare poteſt Homo: quod non largiter omne
g Hic habiturus erit, quando ſatianda voluntas,
h Tam pleno guſtu, nihil ut deſideret ultra
i Huc igitur curas converte, huc dirige facta,
k Huc & collimet, vitæ directio tota,
Vt magnetis acus, verſans ſe ad ſigna Polorum,
Præclara eſt Cœli merces, quæ tanta futura,
a Dicere ut hanc nequeat, ſuavis facundia linguæ
Nota illi ſoli, tribuit qui præmia tanta:
b Omnes ſi mundi pœnæ, cumulentur in unum,
Et quæ ſæva poteſt, tormenta inferre Tyrannis
Vni homini, ſubeunda forent, atque Ignis averni
c Vreret ad Tempus, poſthac ut gaudia Cœli
Perciperet, minimum tamen, hæc attingere punctum,
d Aut umbram poſſent, quæ Gaudia tanta merentur:
e Fortiter hinc pugna, labor haud te tædeat ullus,
f Hic, quanto eſt major, tanto quoque plenior ipſa
Gloria Sanctorum, duplicanda corona ſalutis:
Vt Laude indignus, ſine pugnâ, aut cæde Triumphus,
Quem non præcedit, victoria parta labore,

g Demon-

d ſanct. Bernard. ſer. 1 de Aſſumpt. e 2 Reg. 2 f Rom. 8 g 1. Corinth. 13 h Ioann 22 & 24 Pſal. 15 i Matth. 6 k Michea 6 a 1. Corinth. b ſ nct. Auguſt. in manuali ca 5 c ibid. d Rom. 8 c Epheſ. 5. 1 Corin. 9 f Pſal. 93 Habr. 12.

g Demonstrans Animi robur, pectusque virile;
h Sic Christi miles, si Animæ non vicerit hostes
De illecebris mundi, carnis, Sathanæq; triumphet,
i Non rapiet Cœlum, quod fortia pectora poscit,
k Solaque condignâ mercede, in fine coronat:
l His solare animum, quoties hunc tristia frangunt,
m Quem minime lædent, quando Cœlestia volvit,
n Quin potius, reddent dulcem, quemcunque laborem,
o Ærumnasque graves, solatia vera sequentur
p Tristitiamq; brevem, infinita hæc gaudia claudens
Quæ tibi Lectori, ex cordis penetralibus opto;
Hoc voto, finem præsentis claudo Libelli,
Vt vivendo pie, gustes hæc Gaudia Cœli,
Quæ tibi promitto, data si præcepta sequaris.

g 2 *Timoth:* 2 & 4 h *Hebr.* 11, 1. *Petri* 5 i *Matth.* 11 k *Iacob.* 1. 2. *Corinth,* 1 & 7 l *Iob.* 6 m *Philip.* 9 n *Psal.* 26. o *Psal.* 89 *Iob.* 6. *Rom.* 15 p *Apocal.* 2. *Cant.* 2.

F I N I S

INDEX

INDEX PARAGRAPHORUM

Quæ hac PARÆNESI continentur

devotæ Orationis, ejusque requisita, & distractionis nocumenta.

57. Suadet maturam rerum suarum in sanitate dispositionem, & agonizantis Hominis angustias, & extremam eius cum morte luctam describit.

58. Spiritus & carnis luctam internam, & qualiter se homo circa illam gerere debeat, explicat.

59. Describit Gaudia Sanctorum, & Cælestis Regni pulchritudinem.

De Proserphone folio 63

rasium. B

